

L. B. P. D. T. O. M.

COGITATIONES SUBITANÆ
circa

MIGRATIONES GENTIUM,

Quatenus

DIV. PROVIDENTIÆ FATISq; RERUMPUB.

ILLUSTRANDIS INSERVIUNT;

Quas

*Cum consensu Ampl. Facult. Philosophica
in Acad. Reg. Aboënſ.*

Sub PRÆSIDIO

Viri Cl.

Dn. ALGOTHI A. SCARIN

Histor. & Philof. Pract. Prof. Reg. & Ord.

Pro GRADU

publice ventilandas exhibet

AUCTOR

JACOBUS HAARTMAN

Job. Fil.

V. D. XIII. Jul. Anni 1741. in audit. max.

S:æ R:æ MAJ:tis

SUMMÆ FIDEL. VIRO.

ILLUSTRISS. ET. EXCELLENTIS. BARONI. AC. DOMINO.

DN. O L A V O
CEDERSTRÖM.

R:æ MAJ:tis REGNIQUE SENATORI CELSISSIMO, ALMÆ
NOSTRÆ ABOENSIS CANCELLARIO EMINENTISSIMO,
DOMINO GRATIOSISSIMO.

Atria. Splendida. Et. Magnifica. TUA. CELSISSIME. Subire.
Sine. Thure. Sine. Munere. Pari;

Mecenatemque. In. TE. Musis. Nostris. Datum.

Munusculo Exiguo. Colere. Cliens. Ego. Sustineo.

Da. Veniam. Temeritati. Et. Si Qua. Insit. Protervia. Gratiam.
Concede.

LENITAS. Avita. Oris. atque Indolis. Prestabit.

Quod. Per. HEROICAM. VIRTUTEM. Sperare. Non. Licebit.

Suo. Ultramque. Cultu. Gestuque. Idoneo. Veneror.

Per Illam. Tamen.

PRINCIPEM. In. Senatoria. Purpura. VIRTUTEM. TUAM.
Enixe Oro.

Velis. Primitias. Ingenii. Hasce.

In. Spem. Uberioris. In. Posterum. Luculentiorisque Frugis.

Aqui. Bonique. Consulere.

Plenissimam. Pro. TUO. FAMILIÆq;. TUÆ. Perenni. Flore. Pie.

S:æ R:æ MAJ:tis
MAXIMÆ FIDEI VIRO,
Generosissimo Domino,

D_N, GUSTAVO
CELSING,

Regiæ Majestatis Regniqve SECRETARIO STATUS emi-
nentissimo, MÆCENATI Maximo.

Dum qualemunque hanc dissertationem, levem in se o-
mnino, nec ulla re alia, quam argumenti amplitudine &
ponderè commendabilem, Tibi, VIR GENEROSISSIME, sisto
offeroque; humillime oratum venio, digneris conatus hosce gra-
tiose respicere, clientemque favore prosequi solito. Solito
inquam: nam ut elegantiorum Litterarum Patronus es,
MÆCENATEM QVÆ TEMET jamdudum agnovit orbis eru-
ditus; ita & mihi animum addidit favor iste TULLI erga cul-
tores earum singularis. in primis vero, quem in TE jampri-
dem experta est domus paterna; cujus ut in me quoque. fili-
um ac nepotem, particulam derivari patiaris, submisse
obsecro

GENEROSISSIMI NOMINIS TUI.

Servus humillimus

JAC. HAARTMAN Joh. FH

Generoso & Nobilissimo Domino,
Dn. SIMONI LINDHEIM,
Supremi, in magno ducatu Finlandiæ, Dicasterii
Regii Consiliario gravissimo,
Mæcenati magno.

Nobilissimo & Generoso Domino,
Dn. JOHANNI LAGERFLYCHT,
Regii Regniqve Judicii, quod Aboæ est, Adlesori
æqvissimo, consultissimo,
Mæcenati maxime suspiciendo.

Amplissimo & Consultissimo Domino,
Dn. GABRIELI KECKONIO,
In Supremo Dicasterio Aboensi Advocato Fisci dex-
terrimum, Patrono & Fautori æstumatissimo.

*Suscipite. Mæcenates. Et. Patroni. Magni. Benignissimi.
Munusculum. Quod. Spe. Gratia. Et. Fauoris. Vestri,
Quemadmodum. In. Paternam. Domum. Jam. Pridem Col-
lati. Ita. In. Me. Quoque. In. Posterum. Redundaturi. Vobis.
Consecrat.*

**Generosissimorum & Nobilissimorum Nominum
Vestrorum**

Cultor observantissimus
JAC. HAARTMAN Joh. Fil.

Max. Rever. atq; Ampliff. Dom.
Dn. JOH. FORSSKÖHL,
Ecclesiarū antehac in Hel-
singorska Nylandiæ, Pasto-
ri; & vicini districtus Præ-
posito gravissimo, accura-
tissimo; jam v. in Tegelino-
rū Uplandiæ Antistiti lon-
ge dignissimo, Avunculo
propensissimo, ætatem lu-
spiciendo.

*Viro Spectatissimo & Pruden-
tissimo*
Dn. GUSTAVO
HAARTMAN,
Senatori Curiaë Gevalien-
sis adcuratissimo, Patruo
quavis observantia suspici-
endo.

Spectatissimo Viro,
Dn. PARMEN TIMM,
Officinæ Ferrariæ in Kau-
ta Directori industrio, Af-
fini dilectissimo,

*Vestra. Patroni. Et. Fautores. In. Se. Benevolentia. Et. Pro-
pensionis. Tot. Habet. Indicia. Ut. Que. In. Grati. Et.
Devoti. Animi. Tesseram. Vobis. Obtulerit. Jam. Officia. Vel.
Munera. Pardi. Omnino. Ponderis. Benigne. Suscepturos. Vos.
Et. Cœdet. Et. Sciat.*

Adm. Rev. atq; Prael. Domino,
M. GABR. FORTELIO,
Moral. & Histor. in Gy-
mnasio Borgoënsi Lectori
dexterrimo, Consistorii
Ecclesiastici Adfessori æ-
quissimo, & Borgoënsium
Archidiacono longe di-
gnissimo, Avunculo opti-
mo, desideratissimo.


*Spectate integritatis & fidei
Viro*
Dn. GREGORIO
HAARTMAN,
Redituum Territorialium
scribæ in Virmā industrio,
Patruo colendo.

Spectabili & Prudentiff. Viro,
Dn. JOH. LAURBECK,
Mercatori inter Aboënses
percelebri, Avunculo ho-
norando.

Clarissimo Dno AUCTORI,
Amico suo in paucis dilecto,

Delicia Charitum, Patrie mel amorque parentum
HARTMAN prae grandis, flos juvenumque jubar.
Ingenii qui dona tui dotesque tuetur,
Dicit te gremio Palladis esse satum.
Es variis etenim Musarum dotibus auctus,
Atque idem Claris es bene potus aquis.
Jamque in floriferis Musarum saltibus acre
Expolit ingenium Pallas amica tuum.
Quas non facundas animum convertis ad artes?
Quid non ingenii viribus aggredieris?
Omnes tu Sophia didicisti sedulus artes
Ingenii mira dexteritate tui.
Hoc bene commonstrat tua dissertatio docta,
Ardua qua tentas, differis atque doces.
Sic pergas ut cepisti! tum clarus habetor,
Tempora cum lauru cinget Apollo Tibi!
Perge, precor, patrii & te virtutibus orna,
Atque Patris mores posse referre stude.
Hic bene te primis equidem curavit ab annis,
Perfunctus vigilis Patris amore fuit.
Illius quoque tu, quantum potes, indue vitam,
Sic poteris summum clarus habere locum.
Dici idemque domus poteris sic jure paterna
Gloria prima, nitens & decus & columen,

Gratulab. apposuit
SAM. WYSE.
Secret. Acad. Abœnfis.



A. Ω.

§. I.

Historia mundi nil est aliud quam nuda & simplex factorum & phaenomenorum recensio, & contingentiae rerum observatio. *Philosophia v. mundi* est cognitio factorum & phaenomenorum hujus universi, contingentiaeque adeo rerum, per suas causas

§. 2. *Mundum* autem iam in praesenti intelligimus non etiam omnem, quem Cosmologia nomine suo comprehendit; sed particulam ejus, nobis maxime notam, & quam incolimus.

§. 3. Providentiam Divinam *ipsa* (§. 1.) quidem, sapientiam & bonitatem, legesque & regulas, quibus eam adstringere voluit summum Numen, in se continet plenissimas, examinanti conspicuas.

§. 4. Quemadmodum autem illius (§. 2.) partem benevultam & praecipuam constituit populus, qui a principio inde rerum globum hunc terraqueum tenuit & adhuc incolit.

§. 5. Ita hanc (§. 3.) vivide praeter ceteris repraesentant fata rerum publicarum & regnorum varia, & vicissitudines gentium integrarum sive populorum admirandae.

§. 6. Dignam proinde contemplatione nostra sumimus nobis pertractandam materiam praesentem, quae de origine

A

gine

gine & migratione gentium inscribitur. Nam præterquam quod providentiam Divinam admirandam manifestat, uti dictum est; mores quoque populorum & gentium, nec non linguarum vices ac fata indicat per suas causas; incrementa item ac decrementsa artium, scientiarum, virtutumque pariter ac vitiorum, tam intellectualium quam moralium.

§. 7. At ut ager hic fertilis reddatur insignium horum (§. 6.) proventuum, excolendus est, vomereque & aratro perfodiendus. Non in externo inquam & nudo casuum eventuumque cortice ac superficie inhærendum; sed in intimiora eorum penetrandum. Expendendæ sunt circumstantiæ singulæ; fines, media, omniaque causarum tam principalium quam instrumentalium, proximarum & remotarum genera.

§. 8. Enimvero cum nostrarum virium non sit, singula ita accurate expendere, nec amplam hanc & arduam omnino materiam capiant pauca pagella; majoris id est operis, non præproperi & subitanei laboris: generalem tantum sciagraphiam migrationum maxime illustrium & memorabilium, quatenus fide historica nobis adhucdum constant certa atque immota, pertexere; eisdemque duo vel tria scholia reflexiva subnectere libet. adsit interea favor *NUMINIS*, tuaque B. L. benevolentia.

CAP. I. HISTORICUM.

(§. 1. Sit igitur prima nobis commemoranda *Hebræorum* ex Ur Chaldaeorum in Haran Mesopotamiæ, indeque in terram divinitus promissam facta, Abrahami & sociorum migratio. Posterorum deinde ejus in *Ægyptum*, & ex *Ægypto*, crescente multitudine, per loca Arabiæ deserta, 40. annorum itinere, in *Cananæorum*, incolis probe refertam solique benignitate præstan-

stantem, terram. Hanc enim non vicinis solum Asiæ gen-
tibus illustrem vid. Jos. I. 9. 10. 11. sed exteris quoque
scriptoribus diu & multo post celebratam existisse ex
Trogi epitomatore Justino, Tacito, Strabone, etiamnum
constat.

Post in Assyriam & Babylonem transportati, luculen-
tum discrimen Israelitarum ab Judæis dederunt.

Illi enim *Israelita*, partim in Samaria & Assyria manserant,
partim in Circassiam & Tattariam Dagestanensem successu
temporis pervenerunt. vid. nobis *Brenner* de orig. Arm. p.
101. immo forte etiam ex mente Cl. *Rudbeckii jun.* &
aliorumque in Fenniam nostram.

Hi, *Judæi*, in patriam denuo maximam partem mi-
grarunt; pars tamen bene multa Babylone remansit.
immo in alias quoque regiones distitas se contulit.

Reduces Judæi extraneis, potissimum Romanis & Syriis,
commixti Act. II. 8. 11. colonias deduxerant longe & la-
te per Asiam, Ægyptum & Græciam, immo & Romam,
usque, dum univrsali gentis & Hierosolymarum per Ro-
manos excidio in totum orbem dispersi sunt.

Extorris igitur patriam gens per Asiam, Africam &
Europam vagabunda jam per XVII. secula incessit. Se-
des autem potissima olim erat Hispania; hodie etiam
Polonia, Hollandia, Turcia, & quod mireris, Italia, infe-
rior, & quidem nuperrime regnum Neapolitanum.

Peculiarem horum ex Polonia in Persiam migrationem
memorat & describit nob. *Brenner*. c. I. p. 102.

§. 2. Nec prætereunda videtur scriptoribus antiquis
c. g. Herodoto, Trogo &c. toties celebrata *Scytharum* in
totam Asiam inundatio & irruptio; nec non *Ægyptio-
rum* sub Sesostri vel Vexori felices ad Pontum usque
successus.

§. 3. *Phaniciorum* item & *Tyriorum* in loca *Europæ* & *Africæ* maritima coloniz & migrationes. Maxime probabile est, *Israelitarum* expeditiones in *Syriam* novis motibus Orientem turbasse, magna dispersione gentium facta sub *Josua*. Et memorabile cumprimis est, quod *Procopius* in *Vand.* narrat, A. C. 546. binas columnas erectas in *Tingitana Mauritania* inventas, quibus *Phœnicio* sermone inscriptum: nos sumus, qui fugimus a facie *Josuz* prædonis filii *Nave*. Et invaluit apud auctores veteris ævi constans opinio, *Herculem* in *Hispaniam* expeditionem fecisse, peragrataque cum exercitu *Libya* & *Mauritania*, *Geryonem* regem interfecisse, *Hispaniam*que tenuisse. immo post in *Galliam* pervenisse, *Alpes* superasse, *Liguriam* & *Hetruriam* penetrasse; inde in *Siciliam* & *Italiam* advectum. At *Herculem Phœnicium* seu *Tyrium* fuisse hunc, non *Græcum*, qui in *Mauritaniam* & *Hispaniam* migravit, multa sunt, quæ svadent & arguunt. Quamvis autem fabulis interspersa sunt plurima, vestigia tamen & monumenta non pauca huius expeditionis in regionibus & populis supradictis reperiere *Geographi* & *Historici* sequioris ævi, partim quoque adhucdum exstant. Quicquid erit, *Phœnices* & *Cananos* colonias suas ab antiquissimis inde temporibus in *Africanam*, *Hispaniam*, *Siciliam*que deduxisse, urbesque celeberrimas olim, *Uticam*, *Chartaginem* *Africæ*; *Tartessum*que *Hispaniæ* condidisse, cersum est.

§. 4. Multa hic dici possent de expeditione *Argonautarum*, quos totam *Europam*, & quidem ante bellum *Trojanum*, *Judicum* *Istr.* tempore, circumivisse probare vult ampl. *Rudbeckius*; de erroribus item *Æneæ* & *Ulyssis*; *Herculis* insuper *Bacchi*que ad ultimos *Indos* susceptis itineribus; nec non *Atlantidum* *Platoni* tantopere celebratis

expeditionibus in Europam; Saturni ex Creta, Evandri cum suis Arcadibus in Italiam migrationibus: sed brevitati licentes, talia missa facimus. Novimus namque, non desse eos, qui quicquid de Argonautis, de Hercule, Ulyssæ, Aenea, Baccho, bello Trojano &c. circumferuntur, pro fabellis & nugis habent, licet & alii sint, qui constanter iis se reponunt. Majore jure locum sibi hic vindicant *Græcorum, Pelasgorum* præcipue & *Ætiorum*, in Joniam, vicinæque sibi Asiæ loca; in Italiæ item regiones plurimas; nec non Chersonesum Tauricam, & Cyrenen Africæ, migrationes & coloniæ, qua de re passim apud auctores; imprimis v. stupenda *Alexandri M.* in Asiam, Syriam, Ægyptum, Persiam, Indiamque suscepta expeditio, qua, debellatis Persis, imperium sibi suisque ingentes & regiones longe distitas conciliaverat, quod usque ad Sinam, ultimamque ejus regionem Suchuen protensum vult Hornius *Arca Noæ* p. 390 395. sqq.

§ 5 Nec magis certa sunt, quæ de *Henetis* Paphlagoniæ populis tradunt scriptores. Hos enim post excidium Trojæ ex Paphlagonia egressos, peragrata Thracia & Illyrico, in Italiam cum Antenore venisse ajunt. Strabo, postquam *Geog. L. XII. p. n. 638* in antecessum observaverat, nunc h. e. sua ætate, in Paphlagonia *Henetos non inveniri*, hæc statim subjungit: *id maxime in confesso est, primariam Paphlagonum gentem fuisse Henetos, e qua fuerit Pylamenes, quem & plurimi ad bellum (Trojanum) fuerunt secuti: qui eversa Troja, amisso duce, in Thraciam abierint, vagariq; deinde in venetiam pervenerunt, sunt Aquientenorem etiam & filios ejus socios ejus professionis fuisse perhibent & ad intimam Adriæ sinus recessum consedisse, cujus rei mentionem fecimus in Italia descriptione. vid. lib. V. eos autem Henetos, qui expeditioni huius non interfuerint, Cappadoces factos, inquit c. l. pag 647.* Hos

He-

Henetos omnes colonos fuisse a regibus Seytharum ex Medis bello subactis in Paphlagoniæ agrum translatos, ex aliis auctoribus constat,

§. 6 Antenori jungimus *Æneam*, qui cum selecta manu ex Troja in Latium tandem comesset dicitur; & non ita multo post, per Romulum, gloriam & propaginem Romani nominis per totam primum Italiam, deinde etiam per universum fere orbem propagavit. Sicilia Hispania, Numidia, Africa in provinciæ formam redactæ. In Galliam, Germaniam, Britanniam Cæsar penetravit. Per Armeniam, Syriam, Mesopotamiam Trajanus victricia arma circumtulit; immo Alexandrum æmulaturus in Indiam molitus est expeditionem. Nec tamen cogitandum, prima quacunqve expeditione confectam rem omnem fuisse. repetitæ fuerunt sæpius ipsæ; militesqve, & cives quoqve missi sunt coloni, qui partas sic regiones & provincias in obsequio tenerent.

Quod si quis colonias Romanorum in specie ad hanc vel illam provinciam, has vel illas regiones, deductas mente sua revolvere velit, verum deprehendet Senecæ efatum: *ubicumqve vicit Romanus, habitavit.*

§. 7. Jam quod ad Gallos attinet, multa hic occurrunt. Nam & Gallos, qui in Italia sunt, omnes ex transalpinis eo migrasse, occiduaqve Europæ antiquitus ad Gades usqve tenuisse, Strabo testis est (iidem hi sunt, qui Alpibus trajectis sub Brenno duce Romam ipsam occuparunt postea, 400 circiter ante C. N. annis). Quo eodem tempore & aliam portionem Illyricos sinus per strages barbarorum penetrasse, & in Pannonia, domitis veteranis, diu satis consedisse, præter alios Justinus Lib. 24. & 25. memorat, usqve dum hortante successu, divisis agminibus Græciam alii sub Brenno duce, alii Macedo-

doniam Belgio duce, petierint, feliciterque primum, devictis Ptolomæo & Sosthene regibus, aggressi sint. Post cladem v. Delphis acceptam, superstites partim in confinia Europæ loca, partim in Asiam se receperunt, regionemque de suo *GalloGræciam* vel *Galatiam* cognominarunt. Acciderunt hæc 250. circiter ante C. N. annis.

Sed & Sigovelo duce, *Boji* longe ante C. N. prisco Tarquinio Romæ regnante, ex Gallia in Germaniam ducti, *Bohemiam* primum occuparunt; hincvero a Marcomannis deinde pulsi, *Bavariam* hodiernam nacti sunt sedem perpetuam.

Bojos hos, Cæsaris jam ætate, ex agro Norico, quem oppugnarant, ab Helvetiis evocatos, in *Galliam* denuo transisse; confectoque ibi infeliciter bello, quod egregia virtute essent cogniti, in *Eduorum* finibus collocatos, in communionem juris libertatisque receptos fuisse, ipse Cæsar B. G. Lib 1 cap. 5 & 18. auctor est; Helvetiis, *Tulingis* & *Latobrigis* in fines suos, unde erant profecti, reverti jussis.

Exstitit quoque in *Italia* gens potentissima ejusdem nominis, Gallica itidem colonia vid. Cluv. Geog. III.

25.

§ 8 Dubitat Tacitus in Germ. deser. num Germaniæ populis adnumeret eos, qui trans Rhenum quidem & Danubium confederant, sed decumates tantum agros exercuerant. Et ex eo quidem dubitat, quod levissimus quisque Gallorum & inopia audax, dubiæ possessionis solum sic occupaverit. *Alemannos*, quasi *Allmänner*, acerrimos olim Romanorum hostes, hinc enatos jure suspicatur & probat Cluverius Germ. L. 3. c. 4. Quod ideo adnotasse juvat, ut constet genius ac natura istorum temporum. Sane ex ejusmodi profugis multæ olim populo-

rum societates peculiare coaluerunt. Sic apud nos etiam legimus Jemiam, Helsingiamque, immo & Vermlandiam ab Olavo Trätella, primitus excultam.

§. 9. Quemadmodum autem nationes nonnullæ antiquissimis jam temporibus ex Gallia in Germaniam, ita ex Germania vicissim in Galliam plurimæ migrarunt. Tales erant Eburones, Condrusii &c. qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerunt, & communi nomine nunc Tungri, nunc Germani vocati sunt. Vid. Tacit. Germ. & conf. Cæ. B. G. l. 2 c. 4 ut jam Triboccos, Sicambros, Menapios, Batavos, Ubios &c. taceam. *Caesar percontatus reperiebat, plerosque Belgas esse ortos a Germanis, Rhenumque antiquitus transductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque qui ea loca incolerent, expulisse; solosque esse, qui patrum nostrorum memoria omni Gallia vexata, Teutonos Cimbroque intra fines suos ingredi prohibuissent* Bell. Gall. c. 1.

§. 10. Cimbro autem & Teutonos Galliam omnem occupasse, atque inde in Italiam contendisse, certum est. vid. Cæ. B. G. l. 33 Il. 29. factum hoc proximo ante C. N. seculo, cum prius ingenti numero circa tempora Alexandri M. propter inundationem regionis suæ, ut fertur, magnam orbis partem pervagati essent. vid. Strab. Geog. L. 7. p. 333. Danos vel Jutas, Holsatosque fuisse hos, satis constat; at ex Cimmeriis ortos, Cimmericosque adeo, a Scythis sedibus pullos, ex palude Mæotica huc ad mare Balticum migrasse, dubio non caret.

§. 11. Sed & intra ipsam Germaniam varii fuerunt populorum situs, sedesvariaz. exempli loco sint *Marcomanni, Helvetii & Boji*. Loca inter Hercyniam sylvam, Rhenum Mænumque amnes primum tenuisse Helveticos, vltiora s. Bojemica, Boijos utriusque Gallia egressi 600 circiter ante C. N. annis, ex Tacito & Diono probat Cluverius Germ. ant.

ant. lib. 3. c. 6. Cæsaris v. ætate h. e. proxime ante C. N. Hel-
vetiorum istas genuinas & antiquas sedes Marcomannos, Se-
dusios & Harudes coluisse; Helvetios autem Italiæ pro-
piora loca infra Rhenum, quæ etiamnum Helvetia di-
citur, inhabitasse, ex Cæsaris de B. G. lib. I. constat;
erupturi hi tum quidem in Galliam denuo, novasque se-
des quæsituri. Augusto deinde imperante, Marco-
mannorum gentem una cum Sedusiis & Harudibus procul
ab Rheni ripa & Galliarum confinio in inferiora transgres-
sam Bojohænum occupasse, Bojis supra memoratis ex-
pulsis, Tacitus in Germ. indicat; Bojos vero extorres sic
factos in Vindeliciam, hodie Bavariam, transmigrasse, i-
tidem probat Cluverus c. I. lib. 3. c. 30. & Vind. cap. 3. Loca
ad Rhenum vacua relicta a Marcomannis, Allemano-
s occupasse supra ostendimus §. 8. Bohemiam quod
attinet, ea denuo posteriori ætate, Marcomannis expul-
sis, novis rursus cultoribus, Venedis s. Slavis, qui suo si-
bi vocabulo & antea & nunc Czechi in hanc usque
diem indigitantur, cesserat seculo post C. N. V. vel VII.
conf. Cluv. Geogr. I. 3. c. 13.

§. 12. At pergendum nobis est ad migrationes, quibus
imperium Romanum in occidente convulsam & e-
versam est, potioraque Europæ regna hodierna instau-
rata. Primarium facile locum inter eas obtinet *Gorbo-
rum* ex Scandia hac nostra in *Pomeraniam*, *Vandaliam*; supe-
ratque deinde etiam Borysthene amne in regiones Mæ-
otidi paludi & Ponto Euxino conterminas, *Syriam* puta
Europæam, *Tauricam Chersonesum*, *Daciam*, *Thraciam* & *Mæsam*;
eorundemque itidem ex Danubii faucibus in ipsam *Hunga-
riam*, *Illyricum*, *Germaniam* partem, *Italiam*, *Helvetiam*, *Galli-
am*, *Hispaniamque* factæ irruptiones & migrationes. No-
ta sunt quæ circa hanc rem molitus fuerat Phil. Cluve-
rus,

rius, vir rerum historicarum alioquin doctissimus. Sed
 nota etiam sunt opinor, quibus eam strenue jam Scand-
 dianis nostris vindicaverat Stiernhielmus in opere e-
 gregio, quod anti Cluverium inscripserat. Hos enim ex
 Scandia, Scanzia, Scandinavia, magna illa peninsula, primi-
 tus exiisse testis est omni exceptione major Jernandes,
 ipse Gothus natione, vir doctus & religiosus, Episcopus
 scil. & gentis suae ex professo Historicus, florens circa
 A. C. 550, sub Imp. Justiniano, memoriis & carminibus
 gentilitiis & super haec, Ablabio, Dexippo, Dione Graeco, &
 aliis, qui Gothica & Gotica ante ipsius aevum scripse-
 rant, auctoribus suffultus. ita v. ille sub initium libri
 sui de Rebus Geticis: *Ex hac Scanzia insula, quasi officina*
gentium, aut certe velut vagina nationum, cum rege
suo nomine Berich Gotbi quondam memorantur egressi; qui
ut primus e navibus exeuntes terras attigere, illis loco nomen
dederunt. Nam hodie illic, ut fertur Gotbi-Scanzia vocatur.
Unde mox promoventes ad sedes Ulmerugorum, qui tunc Oceanum
vipas infedebant, castrametati sunt, eosque commisso praelio pro-
priis sedibus pepulerunt: eorumque vicinos Vandalos jam tunc
subjugantes, suis applicuere visceris. Ibi v. magna populi nume-
rositate crescente, etiam pene quinto rege regnante, post Berich,
Filimur, sicut Godarici, consilio sedis, ut exinde cum familiis Go-
thorum promoveret exercitus. Qui aprissimas sedes, locaque
dum quareret congrua, pervenit ad Scythia terras, qua lingua eo-
rum Quin vocabantur. Ubi delictato magna ubertate regio-
num exercitu, & medietate transposita, pons dicitur, unde ac-
cionem transferant, miserabiliter terruisse, nec ulterius jam cuiquam
dicunt ira, aut revire. Hac igitur pars Gothorum, qua apud Hi-
lomer dicitur in terras Quin emenso amne transposita, optatum
potita solum: nec mora: illico ad gentem Spatorum adveniunt,
consertoque praelio visceris adipiscuntur. Undeque jam vel-

ut viros ad extremam Scythia partem, qua Pontico maris vicina est, properant: quemadmodum & in priscis eorum carminibus gens historico ritu in commune recolitur: quod & Ablabius descriptor Gothorum gentis egregius verissima adtestatur historia. In quam sententiam & nonnulli consenserunt majorum. Josephus quoque Annalium relator verissimus, dum ubique veritatis conservat regulam, & origines causarum a principio revolvit, hac v. qua diximus, de Gothorum gente principia cur omiserit ignoramus. Sed tamen ab hoc loco eorum stirpem commemorans, Scythas eos & natione & vocabulo asserit appellatos. adde his, si lubet, Isidorum, Procopium, aliosque rerum Gothicarum scriptores.

Jam inde ab a. c. 214. frequens illis cum imperatoribus Romanis res erat, frequentesque horum in adjacentes regiones, Mœciam, Thraciam &c. irruptiones, usque dum A. 374. cum Hunnorum impressionem ferundo non essent, Ostro-Gothi a V. Getis separarentur. Quorum hi Danubio superato in Macedoniam ipsamque Græciam penetrarunt; deinde etiam sub initium seculi V. proximi, Italia tota his peragrata & devastata, Galliam Narbonensem & Aquitanicam, Hispaniamque, Gothici fecerunt juris, expulsis aut saltem victis prius Alanis, Svevis atque Vandalis; donec & ipsi tandem, Gallia primum a Francis sub initium sec. VI. expulsi, a Saracenis Maurisque penitus tandem sec. VIII. imperio exuti essent, quod non nisi 700. annis exactis, recuperare & postliminii jure in plenum iterum vindicare potuerunt.

Illi autem, Ostro-Gothi, Hunnis subjugati, parem cum iis fortunam experti sunt; etiam cum in fatali ad campos Caetalaunicos Galliz prælio, sub rege eorum Attila militare coacti essent. At post ejus mortem circa medium sec. V. Pannoniam, Hungariam hodiernam, sedem nacti sunt a Valentiniano III. mox tamen,

facta prius in Illyriam, Thessaliam, ceterasque imperii Orientalis regiones impressione, sub Theodorico suo Veronensi, victis Herulis, imperium sibi in Italiam & Siciliam per 60. annos vindicarunt; nec postmodum, devicti licet a Narsete, Italiae fines unquam egressi leguntur.

§. 13. Non confundenda ipsa hæc jam memorata, scriptoribusque Græcis pariter ac Latinis sat celebrata Gothorum emigratio, cum priori & vetustiori quadam expeditione Gothorum, quam itidem ex Scandia integris aliquot seculis ante C. N. factam, eruditi ex eo suspicantur, quod Herodoto, aliisque scriptoribus usque ad Ovidium ante C. N. viventibus, mentio sæpius fiat *Getarum*, sua jam ætate Thraciam incolentium, vicinaque loca infestantium. Hos enim ejusdem cum Gothis stirpis ac propaginis fuisse, multa evincunt argumenta Loccenio in antiqv. Sveog. L. I. c. I. nec non Sheringham de orig. Angl. capp. 9. 10. 11. integris adducta. Præinde & cum Scaligero Gothos in majores & minores distinguunt accuratiores; illos quidem antiquiores, qui primi Scandinaviam, narale solum, relinquentes, in Thraciam migrarunt; hos, qui longo post illos temporis tractu. Ut sic igitur vana & usui omnium scriptorum contraria sit inter *Getas* & Gothos distinctio.

§. 14. Gothis jam addimus *Gepidas*, quos una cum illis ex Scandia solvisse, tardiores autem ad insulæ Vistulanae littora appulisse, ibidemque indignatione commotos, spreta ulteriori expeditione, aliquamdiu remansisse narrat Jornandes. Postmodum tamen, otii hujus pertasi, devictis Burgundionibus, ad regiones Ponticas & ipsi quoque tendunt. Post varia tandem fata, prospera, adversa, partim a Gothis, partim ab Hunnis accelerata, Dacia partem, Transylvaniam hodiernam, inmo quoque Moldaviam

& Valachiam, sedem sibi fixam elegerunt, quamque Vandalis prius incoluerant. Vid Journ. de reb. Get. p. m. 102. & 134.

§. 15. *Burgundiones*, Pomerelliae olim incolae, sub Probi demum imperio, a patria sede ad Rhenum profecti dicuntur; ibidemque Allemannis in Rhatiam, Helvetiamque pulsus, agros inter Moenum, Danubium, ac Rhenum occupant. Tandem v. trajecto Rheno in ea parte Galliae confederunt, quae hodieque ab eorum nomine gemina dicitur Burgundia, ducatus atque comitatus, Confederant tamen aliquandiu etiam prius in Bohemia & Hassia. vid. Cluver. Germ. lib. 3. c. 36. & Scurzleischii hist. vet. gentis Burgund.

§. 16. Vandalos Gothica stirpe oriundos, his demum ex Scandia emigrantibus, jam in Pomeranicis & Mechlenburgicis locis confedisse, ex loco Jornandis supra adducto satis liquet. Hi jam peragrata tota Germania ac Hungaria Maotidem usque, Alanisque primum, deinde Svevis, & tandem quoque Burgundionibus juncti, Galliam incunte sec. V. ingressi sunt, ubique insequentibus Gothicis. Inde in Hispaniam, imprimis Beticam, relictis Burgundionibus in Gallia, se recipiunt; & urgentibus denuo V. Gothicis in Africam tandem, trajecto freto Gaditano, transmigrarunt; ibidemque, facta inde quoque in Italianam & Siciliam irruptione, regnum Vandalicum CVII. annorum condiderunt.

Neque tamen negandum, Vandalorum bonam partem in Germania superiore & Ungaria remansisse. Nam & frequentes hujus gentis expeditiones & migrationes in historia memorantur, & maximam quoque ciadem sequiorum aetate Germanis intulisse leguntur.

§. 17. *Suevorum* gens Germanica, Vandalis & Alanis

sociata, Galliam seculi V. initio, mox etiam Hispaniam cum ceteris ingressa, Galliciam occupat, & Beticam quoque, Vandalis in Africam permeantibus; Vestra Gothorum tandem imperio penitus subiecta, postquam per 150. annos proprios reges illic habuisset.

§. 18. *Alani*, Scythica gens, e Caucasi montis Mæotidisque confinis egressi, longe lateque per Hungariam & Germaniam pervagati sunt. Pars eorum in Hispaniam penetravit cum Svevis & Vandalis; pars Hunnis sociata, post mortem Attilæ per Hungaricæ regiones propaginem dispersit. Hujus gentis adhucdum vestigia vetera non pauca reperiri in Svecia, patrii scriptores; sobolem autem, etiam nomine servato, in Caucasi montibus hodie habitare, exteri quoque testantur. conf. Brenner c. 1. pag. 92. 99. 87.

§. 19. *Longobardi*, *Vinili* etiam dicti scriptoribus medix ætatis, si ipsis fides habenda erit, ut quidem habenda est, ex Scandinavia hac nostra in continentem primum Germaniæ advenerunt; hinc autem profligatis & victis Vandalis, Bulgaris, Herulis, Svevis, Gepidis, quorum Germaniæ & Hungaricæ regiones tenebant, paulatim & successu temporis in Pannoniam, expulsis O Gothis, straverunt sibi viam. Hinc superato ultimo O Gothorum rege Teja per Narsetem, evocati in Italiam ingressi sunt, Regnumque illie Longobardicum annorum CC. condiderunt; Pannoniam v. priorem sedem suam, amicis Hunnis Avaris ea conditione perdidit, ut si suos necessitas redire urgeret, haberent eam sibi, mutuamque amicitiam colerent. conf. Paul. Diac. de gest. Longob. lib. 1. & 2. contigit autem illa migratio in Italiam circa A. C. 567.

§. 20. Probe tamen observandum, non unam semper

gentem tam validam tanque numerosam fuisse, ut tan-
tas res moliri aut conficere potuerit: sed gentes pluri-
mas modo recensitas, nomine separatas, re ipsa permix-
tas inter se in unum coaluisse. Idem quippe & hic valet,
quod de Nino Assyriorum monarcha; quem, domitis pro-
ximis, cum accessione virium fortior ad alios transfires,
& proxima quaeque victoria instrumentum sequentis effecto-
rotius Orientis populos subegisse narrat Justinus. A pos-
teriori igitur sit denominatio. Nam & Longobardorum
regem Alboinum multos secum ex diversis, quas vel
alii Reges vel ipse ceperat gentibus, Gepidos scil. Bul-
gares, Sarmatas, Pannonios, Svaos, Noricos, & alios,
ad Italiam adduxisse secum Diaconus l. 2. c. 26. testat-
ur; & Odoacrem illum, qui Herulorum Rex commu-
niter saluatur, quique extincto Romulo Momyli-
Augustulo, finem imperio occidentali A. C. 476. impos-
uerat, Italianaque omnem perdomuerat, Scyros, Heru-
los, Rugios, Turcellingos, diversarumque gentium au-
xiliarios habuisse secum, praeter Diaconum Iornandes
fidem facit, cui & ideo Rex gentium dicitur.

Et *Herulos* quidem in specie quod attinet, eos Rugiae
vicina loca incoluisse quondam in confesso est. At quod
Scandia hi quoque exierint, praeter testimonia auctorum,
indisio non levi est, quod Procopius historiae Goth. cir-
ca medium sec. VI. scriptor egregius memoriae prodiderit,
hanc eandem gentem, Gothicis cognatam, ex Danubii
fascibus, quo tum commorabantur, misisse Thulen-
qui reges sibi inde ex Regia prosapia eligerent. Thule
v. & Scandia eidem scriptori unum idemque sunt, ut
notum est.

Scyri videntur fuisse hodierni Curlandi, q. Cyrland.
de his ita Plinius l. 4. c. 23. nos minor opinione *Feningia*.

Quidam hinc habitari ad Vistulam usque fluvium, a Sarmatis, Venetis, NB. Scyris, Hiris tradunt. Manet adhuc parvi Esthoniae nomen Harria.

Jam quod *Rugios* attinet, ipsi quoque ex mari Baltico profecti propriam sedem ad Danubii ripam ulteriorem, Norico proximam, *Rugiland*, quasi *Rugorum* patria, dictam, habuerunt tempore *Odoacri*, qui ultima clade eos afficiens, vastata omni provincia, copiosam secum captivorum multitudinem abduxit in Italiam, cum eorum partem jam dudum possedisset, sibi quoque devinxisset. vid. *Diac. gest. Longob. l. 2. c. 19. 20.* *Herulorum* autem regnum *Theodoricus O Gotorum Rex* penitus destruxit; residuam partem *Longobardi* deinde ita conciderunt, ut ultra super se Regem omnino non haberent. c. 1. Ca. 20.

§ 27. *Hunni* ex *Russia* s. *Fennia* in regiones *Ponticas* & *Mæoticas*, circa A. 374 protinus eruperunt, nec antea cuiquam nomen eorum innotuit. Hinc torrentis instar, rapido & violento quasi cursu transvectis secum *O Gothis*, *Gepidis*, *Herulis*, *Svevis*, *Alanis*, & devastata *Thracia*, *Pannonia*, *Illyrico*, recta *Galiam* versus itum est. Post cruentum v. & fatale illud ad campos *Catalaunicos* praelium A. 451. regiones orientales cum Italia illis denuo praeda ac rapina, *Pannonia* autem & *Dacia* genuina sedes ac patria fuit. Post mortem deinde *Attilæ*, gentium & populorum cetera in partes dissoluta, dum quisque sibi sedem certam ac domicilium eligit, *Pannonia* *O Gothis*, *Dacia* *Gepidis* cessit; *Hunni* residui, cladibus ubique affecti, reliquisque cedere coacti, in *Transylvaniam* partim, partim in *Græciam*, atque inde etiam in *Scythiam* veterem patriam se recipiunt. Hinc demum seculo proxime sequen-

§i VI. maxima vi & nova quadam irruptione Europam
 d. nuo ex Asia petunt; nec multo post amica pace
 cum Longobardis facta, his in Italiam recedentibus, Pan-
 noniam suam recuperant circa A. C. 567. conf. supra § 19.
 Ab eo autem tempore scriptoribus medii ævi & *Hunni* & *A-*
vares promiscuè dicti sunt, Rex vero illo ævo *Caganus* erat.
 Irruptiones frequentes inde quoque, ac graves omnino in
 Germaniam, Saxoniam usque, sequiori ætate factas no-
 vimus, usque dum initio sec. IX. sub Caroli M. auspiciis
 gens penitus subacta ac fere ad interuersionem deleta fuit.
 Sunt quidem, qui Auares hos cum Hunnis pariter ac Hun-
 garis confundunt, & circa epocham harum migrationum
 controversiam faciunt; nec ignoro multa hic de origine
 gentis dici posse; at nobis in præsentem sufficit, prius illud
 tanquam erroneum annotatum fuisse ab aliis, qui accura-
 tius rem pensarunt. vid. Schurtzsch. Ungarica § 7. 3.
 Horn. arc. Noæ p. m. 217. seq. quod posterius autem
 attinet, sufficere poterit, Russiam, teste Helmolde, seculi
 XII. verè Historico *Chunigard* septentrionalibus dictam fuisse
 (ne quid de *Hundingialandia* botnici sinus contermina
 regione nostratium dicam, cf. Salan not. ad Eigil. & Asm.
 hist. p. 83), eo quod ibi sedes Hunnorum primo fuerit
 Chron. Slav. L. I. c. 1. Auares autem adhuc dum habitare
 ad montem Caucasum, fidem facit nob. Brenner, qui
 ipse satis longo tempore in illis sedibus vitam transegit.

§ 22. Jam quod *Ungaros* attinet, illi demum sec. IX.
 & X. Arnulpho Imp. ex Russia in Hungariam penetrarunt,
 expulsis Slavis, qui tum longe lateque per Pannoniam &
 Daciam imperabant. Eos a Jugoria vel Juhoria provin-
 cia adhuc in Russia septentrionali nota exivisse, non sine
 ratione suspicatur nob. Brenner in epist. ad rev. Ep. Bas-
 selium. Et esse hanc novam progeniem, quam eo nomi-

ne hodie designamus, arguit ipsum nomen, quod ante sec. IX. apud Historicos, ex professo Hungarica tractantes, reperire vix licet, repetenda tamen & hic sunt, quæ supra §. 21. de dissensu inter Chronologos & historicos super hac re notavimus; quibus & addi potest, quod certo constat Zventoboldum s. Svatoplucum Slavorum Regem imperium extendisse suum usque ad fines imperii orientalis Græci, eundemque cum Arnulpho Imperatore bellum gessisse cruentum. Enim v. cum inter omnes conveniat, ante hunc Svatoplucum Slavos nullum in Pannoniam exercuisse imperium; Hungaris v. aut Avaris, quicumque demum fuerint, in Pannoniam irrupentibus, Slavos istas regiones tenuisse, atque id o etiam ab adventu colonis fuisse expulsos, pro certo eadem constat: sequitur, male a quibusdam, e. g. Bonfinio, Hubnero &c. expeditiones duas diversas Avarum & Hungarorum confundi, epochamque migrationis utrorumlibet ad A. C. 744. collocari. Ceterum ipsi hi Hungari postmodum, Bavariam, Sveviam, Franciam, Saxoniam, Thuringiam, usque ad mare Britannicum, iteratis vicibus depopulati sunt.

§. 23. Circa Hungarica versantibus nobis restat adhuc migratio *Сотаногит* vel *Свиногит*, seculo XI. & XIII. facta, ex Scythia vel Taurica ad Tanaim, in Hungariam. A Tattaris nimirum expulsi illi quidem, novas sedes sibi quaerere coacti sunt, quas etiam in Hungaria repererunt, etiamnamque ad Tibiscum flumen tenent.

§. 24. At redeamus paululum ad occidentem, relicta hætenus persecuturi. Illic occurrit nobis migratio *Anglo-Saxonum* ex Holfaria per regiones transalbinas in Angliam, ineunte sec. V. Notum est, illos in auxilium a Britannis, contra invasores Scotos Pictosque evocatos ibidem postea

filii datæ violatorēs permanſiſſe ipſos, regnumque Angliæ ad hæc uſque tempora, ſubjugatis indigenis, tenuiſſe.

Sic ſtantibus rebus, pars indigenarum in Valliæ Ducatum ſe ſubduxit, ubi etiamnum linguam, mores, vendiqve modum veterem ſervare dicuntur; pars etiam in Galliæ extremum angulum cum ſede nomen intulerunt; niſi forte multo prius jam Cæſaris ævo factam hæc migrationem eſſe, dicendum ſit. vid. Plin. L. IV: c. 17. At Britanni veteres coloniam fuiſſe Trojanam, quæ Samuelis tempore, Britone ſive Bruto quodam duce, Æneæ pronepote, ex Græcia per Galliam huc, oppreſſis & ab inſula fugatis indigenis quidem paucis, ſed gigantibus, commigraverat, graviffimis, quantum quidem in huiusmodi rebus dari poſſunt, argumentis & testimoniis adſtruxit Rob. Sheringham in egregio opere, quod de origine gentis Anglorum inſcribitur; quibus quidem nos permoti, tantam utiqve conſtanti Anglorum & Scotieorum annalium veterum traditioni hæc in re tribuendam eſſe fidem iudicamus, quanta unquam ſcriptoribus Romanis de adventu Æneæ in Italiam haberi poteſt. Argumenta & testimonia videantur c. I. cap. I. § 3. & cap: 6 §. I. nec non not. pag. 19. & 221. ſqq. *communem enim hæc & ab omnibus de origine Britannorum receptam opinionem fuiſſe dicit, cum primum Saxones Britanniam ingreſſi ſunt.* conf. Holbergſ Danmarckſ hiſtor. I. 99. Peringsk. Upland. monument. I. p. 181.

§ 25. Ad *Francorum* pergitur migrationem ex Germania in Galliam, itidem ſec. V; quam etiam omnem, ſucceſſu temporis ad hunc uſque diem ſibi vindicarunt, expulſis V. Gothiſ & Saraceniſ, ſubjugatis Gallis indigenis, Britanniſ ac Burgundionibus. Ceterum non exiſtimandum

est, hodiernam Franciam seu Franconiam, Germaniæ provinciam, nostrorum olim sedem omnem comprehendisse. Nam hos diversa olim nationes inter Rhenum & Albim Mœnumque amnes, Sicambri, Bructeri, Cheruscii, Chauçi &c. constituabant. qui omnes Rhenum transgressi Insulam Franciæ in Gallias pars v. cis Rhenum residua Franciam Germaniæ de suo denominarunt. Neque prætereundum existimamus. quosdam origines horum altius repetiisse, inter quos Jo. Trithemius Abbas quondam, idemque seculi XV:ti & XVI:ti proxime ante Lutherum scriptor & historicus haud incelebris; qui novo prorsus & invidendo ausu Francos suos ex Sicambriis, Sicambros v. ex Trojanis deducit, istosque diu Asiam inhabitasse prius, quam Marcomiri cujusdam ductu, circa A. ante C. N. 410. in Germaniam deducti sint, tradit. In horum omnium fidem advocat Vastaldum & Hunibaldum, Historicos certe non infimæ ætatis, ignotos tamen hætenus. quorum neque postmodum scripta aut opera visa sibi, dolet & urget orbis eruditus. Ideo ab impostura hic, ut alias sæpe, eruditi sibi valde metuunt, plerique etiam tanquam fabulas aniles rejiciunt; quemadmodum & non multo post exstitit Hermannus Comes Nuenarius, qui scripto de origine & sedibus priscorum Francorum breviusculo, Hunibaldum modo nominatum refutandum sibi sumsit. Alii ante Taciti ævum, remotissimas a Rheno in insulis septentrionis sedes, gentem Francicam coluisse existimant, indeque postea in occidentem versus Rhenum profectam, populorum supra nominatorum agros occupasse. *Affirmant alii*, inquit Freculphus scriptor idemque episcopus Lexoviensis Normandiæ, circa sec. IX, eos de *Stanza insula*, qua *Vagiana* gentium est, exordium habuisse, de qua *Corbi* & *ceteræ nationes Theotisca* exierant, quod & *idioma lingua eorum* esset.

rar. vid. Sheringham orig. Angl. cap. 6, p. 141. Quicquid sit, admirationē certe quam plurimorum aliquamdiu excitavit nomen Francorum subito enatum, cum ante seculum III. & IV. inaudita hactenus scriptoribus omnibus esset gens hujus nominis. At nostrum non est, singula pluribus exsequi, aut origines gentium alius repetere.

§. 26. Celebrata quoque est patriis scriptoribus & annalibus illa *Odini junioris* proxime ante C. N. ex Asia & Tattaria Crimæa in Saxoniam & Daniam, indeque in terras has septentrionales, colonia nova.

§. 27. Coloniam dico novam. Nam Sveciam hanc multo ante ab antiquiore quodam Odino fuisse excultam, annalium & monumentorum facta collatione, constat. At non tamen per Germaniam & Daniam tum quidem iter susceptum fuit; sed per Molcoviam & Fenniam nostram, quam ideo Sveciā cultam prius multi sunt, qui non sine ratione statuere velle videntur. Sic vero Sveci Scythica gens sunt, Scytharumque ab eo tempore vera sedes & patria existit Scandia. conf. Brenner orig. Arm. p. 872 & 99.

§. 28. Restant adhuc *Normannorum* sec. IX. ex regnis hisce aqvilonaribus, Scandiæ puta, terra marique, in Saxoniam, Frissiam, provinciasque Rheno conterminas Moguntiam usque, & tandem quoque Galliam, expeditiones; cujus & partem, *Neustriam* prius dictam, de suo nomine *Normandiam* appellatam, genuinam sedem nacti sunt. Eorum propaginem inde etiam sec. XI. sub Vilhelmo conquestore, partim in *utramque Siciliam*, fuisse ingressam, eandemque Saracenis ereptam diu & feliciter tenuisse; partim cum ipso Vilhelmo *Angliam*, Saxonica & Scandica prole jam ante refertam, occupasse constat. Nam & multis seculis ante, expeditiones Danorum & Norvegorum in Angliam

Angliam pariter ac Scotiam & Hiberniam, susceptæ sunt frequentes; unde tandem post 140. annorum domicidium, annorum quoq; 16. imperium, ab Edvardo confessore extrusi sunt Reges Danici; gens autem forte residua, subacta.

§. 29. *Æstiones* vel *Æstios* diversam omnino a Venedis s. Selavis nationem fuisse, ex Tacito & Jornande constat. Quorum ille *Æstios* Svevis, Germaniæ populis, adnumerat; Venedos autem non tantum a Sveciis gentibus excludit plane, sed an Germanis etiam potius, quam Sarmatis adscribat, dubitat. Pariter & Jornandes apertis semper verbis Vinidarum nationem populosam, variisque nominibus Venedorum, Selavinorum & Antum discretam, ab Hastiorum gente distingvit. Uterque autem, Tacitus & Jornandes, longissimam oceani Germanici ripam a Vistula flumine, *Æstios* suo tempore tenuisse testantur. Quod idem adhuc sec. VIII. & IX. obtinuisse ex Eginhardo vite Caroli M. scriptore probari potest, vid. Cluveri Germ. ant. L. 3. c. 44. nisi quod tum jam loca orienti propiora tenuisse videantur. At Venedos ipsam hanc oram Prussiæ maritimam prius olim incoluisse, tum ex nomine Venedici sinus constat, quod adhuc Ptolomæi ætate h. e. paulo post Tacitum, sinui hodierno Fennico pariter ac Livonico mansit. Tenent, inquit Ptolom. Geogr. L. 3. c. 9. *Sarmatiam gentes maxima, Venedæ, per totum Venedicum sinum* conf. Plinii locum supra §. 20. adductum; (Fit ita, quod uterque tempora, posterior etiam diversas gentes confuderit, quod his quidem scriptoribus insolens haud esse, eruditi observarunt) tum etiam ex origine erroris veterum quorundam Poetarum, qui cum apud Venedos h. e. in Prussia ad Vistulam fluvium, succinum legi fama accepissent, propter nominis similitudinem e-

fœderum ab Italiae flumine Pado & gente adcola Venetis,
 in reliquam Italiam Græciamque venire crediderunt fal-
 sissime, cum nullibi terrarum præterquam in Prussia in-
 veniatur aut inventum unquam fuit. *Æstii* igitur, sub-
 motis Venædis, *sittora*, hæc saltem Prussica, ante *Taciti* tem-
 pora tenuerunt, quos *Leti* deinde in interiora versus *Livoni-*
am coarctaverunt, qui & ipsi avo novissimo, a Germanis *Cru-*
cigeris, qui hodie *Prussi* indignantur, in servitutem redacti sunt;
 verba sunt *Stiernh.* in, *antiCluv.* pag. 35. & manet sane ad-
 huc nomen *Æstiorum* in *Estonia* parte *Livoniæ* inferiore.
 In eo igitur jam cardo rei vertitur, undenam primum
 in Prussia migraverint *Æstii*? Silentibus hac in re au-
 thoribus veteribus, dubitantibus & in diversa abeuntibus
 recentioribus, percommode omnino ex *Fennia* hac no-
 stra eduxit rev. *Episc. Gust. Ad. Humble* de origine *Li-*
vonorum p. 24. A *Fennica* en. lingua nonnisi dialecto dif-
 fert *Æstiorum*, qui hodie *Livoniam* incolunt; mores
 vero ritusque vivendi utrisque iidem, nisi quod ex im-
 perio eorum, quibus postmodum fuere subiecti, diversi
 quid superduci potuit. *Cluverus* quidem c. 1. transmigra-
 tionem horum ex *Germania* factam contendit, eosque im-
 peritum *Geographorum* vulgus vocat, qui posterioribus
 demum temporibus huc transgressos opinantur *Germa-*
nos, quos jam inde ab antiquissimis seculis *Prussiam* at-
 que *Livoniam* incoluisse certum & omnino ratum pro-
 nunciat. At miror tamen tanta fiducia *Cluverum* hæc
 ita pronunciarè potuisse, cum aliquanto prius aperte
 confessus sit, se de transmigratione *Æstiorum* e *Germa-*
nia nihil certi afferre posse. Apposite igitur ait hæc
Stiernhielm. c. 1: p. 33. *Rident certe hoc pueri & vetule,*
qui saltem unum Æstium viderunt. Nullos eten. in *Livonia*
Germanos ordo *Eufiferorum Germanicus*, sui adventus

tempore, invenire potuit; nedum Germanicæ linguæ reliquias ulla. Duplex igitur omnino statuenda videtur, vi supradictorum, migratio Æstiorum, una quidem ex Fennia hac nostra in Prussiam, altera ex Prussia in Esthoniæ, Livoniæ hodiernæ partem. Adde his tertiam, Lettorum s. Livonorum in Livoniam; quartam, Germanorum Crucigerorum in Prussiam; immo & quintam, ordinis ensiferorum in Livoniam.

§. 30. Atque quod ordinem Crucigerorum & Ensiferorum attinet, notum est, illum seculo XIII hunc. v. jam sec. XII. ex Germaniæ diversis locis evocatum fuisse in Livoniam & Prussiam, ut veteranos incolas tum barbaros subigerent & in ordinem redigerent. Quo facto, & ipsis & ipsorum quoque posteris hæc regiones ad hunc usque diem cesserunt in dominium & domicilium perpetuum.

§. 31. Eset hic quidem locus exponendi Francorum & Christianorum Occidentalium ex Gallia cum primis, Anglia & Germania, in Asiam & Syriam s. Terram Sanctam, seculo XII. & XIII. quinis repetitis vicibus, factas expeditiones & migrationes. Sed aperta cum hæc sint omnia, quantum nostro quidem instituto sufficiunt, eas indicasse tantum satis erit.

§. 32. Livonos vel Lettos potius, ejusdem originis cum Lithvanis, utrosque autem aliquid ex Italica prosapia trahere, constans est Historicorum sententia, & ipsius quoque vulgi harum regionum traditio a majoribus accepta; licet tempus & occasione migrationis nemo adhuc definire potuerit. Inducti priores illi potissimum ex singulari linguæ utriusque, Lithvanicæ & Livonicæ puta, cum Latina vel Italica, convenientia, ut integros etiam vocum catalogos hujus rei conficere, immo inter gratias orationibus

productis cognationem utriusque ostendere non dubitaverint harum rerum periti: ex ritibus item Romanorum vetustis, sacris, auguriis, auspiciis, penatibus &c. quorum multam & haud exiguam partem ante tempora Christianismi illic viguisse norunt antiquitatum scrutatores & scriptores istorum temporum. Suspicionem auget, quod *vistula olim Dacia, Lithvanix vel Sarmatix veteris contermina regione, ex toto orbe Romano infinitas eo colonias hominum transulerit Trajanus, ad agros & urbes colendas, Dacia enim diuturno bello Decebali viris fuerat exhausta, verba sunt Eutropii in Adrian. L. 8. Quæ quidem colonia nova, per 160. circiter annos, usque ad Gothicas irruptiones, ibi (in Dacia) consedens, tum v. demum ab Aureliano Cæsare revocata, tantam mutationem inducere potuit linguæ Dacicæ, ut etiamnum post tot tantasque gentium diversarum in terras istas migrationes, aperta Romanæ linguæ præbeat vestigia, ut cuique utramque conferenti constare poterit. conf. dissert. Episc. Humble de orig. Livon. unde orationem quoque Dominicam in Dacica lingua describere & B. L. sistere haud piget; *Tatul nostre, cšne gyeesib in cšere, sechi sebvente numme allou, se vinne lanoi Krujetaje, se sie voie allou, Kai en cšere, ascha sebe la pomund, picte nostre dei astes sebe en totie fille, sebe gyarte peccate all nostre, Kum gyartem sebe la datorie all nostre, sebe nuye noi duc se la glumiae, dare sclobosc noi de la totie crujetaje Amin* desumpta autem est hæc formula precationum ex Hartknochii Pruss. orig. part 2. p. 69.*

§. 33. En iam porro *Sclavorum s. Venedorum* post sec. IV. in *oram omnem maris Baltici a Vistula Albim usque* migrationem. Nam cum horum vera sedes & patria olim esset Polonia & Russiæ pars, ab ortu Vistulæ fluminis usque ad Venedicum maris Baltici sinum, ut ex Tacito

& Jornande satis superque constat: factis creberrimis & gravissimis Gothorum, Vandalorum, Burgundionum, Anglorum &c. ex his oris migrationibus & expeditionibus, terras eorum incolis sic denudatas hi, puta Venedi, paulatim subintrare cœperunt, seque cum superstitibus etiam Vandalis ita permiscuerunt, ut facile nomen quoque horum, successu temporis, in illos transisse deprehendamus apud auctores sequioris ævi. Et quanquam postmodum sec. XII. ex Vagria & Mechlenburgica terra, immo & marchionatu tandem Brandenburgico exterminari essent, Saxonibus, Flandris & Hollandis in terras istas remeantibus; Pomerania tamen Silesia, Lusatia, Moravia, Bohemia, Polonia & Venedorum marchia, ceterisque terris, quas occupaverant, nullis unquam armis expelli postea potuerunt. Præter oras enim maris Baltici, ut supra innuimus, Bohemiam quoque jam pridem, Lusatiam, Moraviam & Silesiam, erectis peculiaribus regnis & regibus, sui juris & regiminis fecerant. Quin & in Illyricum & Italiam ex Pannonia se diffundentes, sedem nominisque sui adhucdum vestigia reservarunt sibi in Sclavonia Hungariz, & Marchia Vinidorum Carniolæ provincia. Quemadmodum & jam, præter modo dictas regiones Moldaviam quoque, Walachiam, Bulgariam, Serbiam, Dalmatiam, Croatiam, soboles eorum vera ac genuina magnam partem incolit. vid. Cluveri Germ. ant. L. 3. c. 44 & Bargetti not. ad Helmoldi Chron. Slav. Lib. I. cap. 2.

S. 34. Sed & Orientalem plagam versus, in *Russiam* puta, sedes suas propagarunt. Novimus namque illam nationem, quæ hodie sub Russico est imperio, non esse ex veteribus incolis illarum regionum, sed adventitiam gentem Sclavonicam, quæ sec. fere VII. post, C. N. in illas

terras, ubi nunc dominatur, transmigravit, & veteres incolas paulatim sub jugum misit. Tum enim primum *Rusorum* (i. potius *Russakorum* nomen innotescere cœpit, aut a flumine & urbe *Rusa*, aut conditore suo *Ruff*, vid. Brenneri not. ad com. Moisis Arm. p. 85. conf. etiam de Rusorum origine & indigenis jam ante Sclavorum adventum & Tattarorum incursiones, epist. ejus. p. 106 & 107.

§ 35. Nec prætermittendæ sunt *Varegorum* h. e. Scandinorum in Ostrogardiâ, & ceteras hodiernæ Moscoviæ, olim Gardarikiæ regiones, frequentes olim migrationes, idque Tanaim & *Ashofiam* (a) usque Patrii en. perinde ac ipsi Rusorû añiles abunde hoc ipsum testantur. A Varegis regulos suos Moschoviam, aut si cum nostratibus dicere mavis *Smithiod hin myçla*, sæpius & identidem accepisse memoratur. conf. dissert. Helsingii sub præsid. Celeb. Prof. & Rect. h. t. Magn. SCARIN de *VAREGIS*. Et adhucdum Tattari Dagestanenses ad montes Caucasi & juxta littora maris Caspii habitantes, urgent se non esse Tattaros, sed genus suum a nobis Svecis ducere, quos vocant *Scuitb*; statura ideo & corporis etiam habitu ab aliis Tattaris distincti. vid. Brenner. c. l. pag. 81. & 99. idem testantur colles sepulchrales, non tantum circa Tanaim & Boristhenem, quales hic in Svecia habemus, sed etiam in provinciis circa urbem Moscoviam proximis, atque abinde ad meridiem fere ubique. c. l. pag. 105. Patriis certe annalibus e. g. *Hervarar*, *Vilkinâ*, *Rolfs*, *Asmunds*, *Gagâ* &c. frequentissima mentio fit expeditionum nostratum

D 2.

tium

(a) *Ashof vera scriptio. Vocabulum enim Gothica originis est: a Gothbis plagam illam modo inhabitantibus, modo commercii suis bellisq; frequentantibus, impostum. Significat autem Asarum, id est Othinianorum sedem regalem & religiosam.*

tium in Moschoviam & migrationum ad Tanaim.

§. 36. Transeamus jam ex Europa in Asiam, visuri quos illa motus passa sit, recentiori imprimis ætate. En igitur primo *Saracenorum* ex Arabia felicitis angulo quodam in Persiam, Syriam, Natoliam, Ægyptum, Africamque omnem maritimam, qua Europam vergit, seculo VII. & mox seculo VIII. & IX. in Hispaniam, Galliam, Siciliam & Italiam protinus factam irruptionem & violentam inundationem. Quamquam enim in Gallia nunquam sedem sibi fixam statuere potuerint; tamen Sicilia & Italia non nisi post 200:rum; Hispania v. post 700:rum demum annorum imperium, partim a Normannis, partim a Gothis Hispanis, expelli penitus quiverunt.

§. 37. En *Turcarum* ex Asia Scythica profectioes. Illi vero ruptis Caucasii portis in Armeniam primum & Turcomanniam, deinde quoque, coadunatis sibi Saracenis circa medium sec. VIII. Asiam minorem, Persiam, Thraciam, Græciam, Moesiam, Daciam, ceterasque Europæ regiones orientales, quas adhucdum tenent, penetrare, expugnata sede orientis imperiali demum A:o 1453. iidem post Tamerlanis de vita excessum, victricia arma ad Euphratem usque Tigrimque, per Syriam, Palæstinam, Ægyptum, superatis etiam Saracenis & subjugatis, circumtulere, oramque omnem Africæ maritimam ferè sibi fecere tributariam.

§. 38. Succedunt migrationes *Tattarorum* ex Asia Scythica, sub celebratissimo illo *Chingis Chan* ejusque successoribus usque ad notissimum illum Tamerlanem, seculo XIII. & XIV per 200. annos, in Georgiam, Armeniam, Persiam, Turcomanniam, Syriam, Ægyptum usque, ubique expulsis Turcis & Saracenis. Adeo hi Saracenorum & Turcarum res in Asia fregerunt, ut post

200. annorum bellum, actum plane de iis esset, nisi post mortem *Tamerlanis* Tattarorum res, internis dissidiis, divisæ penitus fuissent. Persarum tamen ab eo tempore, vel non longe post, peculiare existit regnum sub auspicio *Ismaelis* cujusdam succedentiumque *Sophorum*.

§. 39. Divisas diximus fuisse res Tattarorum. Quippe cum ad omnes mundi plagas se suaque jam pridem extendissent, nunc demum imperia in Asia celeberrima condita sunt. Pars septentrionem, versus Russiam circa A. 1230. progressa, non Tattarica modo in *Casan* & *Astrachan* regna condidit, & in *Siberiam* penetravit, sed totam etiam Russiam ante *Basilidis* senioris tempora, plus quam 200. annis, subjugatam tenuit.

Pars inde occidentem versus progressa, in Poloniam primum usque ad Silesiam, deinde etiam in Hungariam, impressionem fecit gravissimam; tandem v. in *Cberfone* *Taurica* notissimum nobis imperium magni illius *Tattar Chan* instauravit.

Pars denique sub *Tamerlane* orientem versus in *Indiam* usque progressa est, erectoque illic *Magni Mogolis* imperio, gloriabunda aliquamdiu illic consedit.

§. 40. *Cingarorum* s. Tattarorum hodiernorum cum liberis & uxoribus, per omnes fere Europæ regiones, vaga itinera an his adnumerem, dubito; nec quid de illis faciendum sit, satis constat. *Aegypti* incolas fuisse majores suos ipsi testantur, sedibus expulsos; lingua, utut aliis commixta, partim quoque detorta, non pauca tamen trahere eruditus videtur *Hebraici*, plurima v. *Nubiani* idiomatis vestigia; quo nomine etiam per universam Europam prioribus seculis appellatos habitosque fuisse, multi sunt, qui adsertum eant, *Epitaphia Cingaricorum*

Ducum . tumulis eorum adscripta; & Sigismundi Regis litteræ, saluum conductum illis præbentes per Poloniam, idem confirmant. Sunt tamen, qui Chaldaeos, sunt qui Judæos, sunt etiam qui Tattaros faciunt eos. Et certe Tattaros aliquibus seculis in Asia dominatos fuisse & in Ægyptum usque penetrasse, supra ostendimus. Quicquid est, ante Imp. Sigismundum initio seculi XV:ti vios hos nuspiam in Europa, certum est, & annalium fide constat. Dux quoque eorum primus *Zundell* nominatur passim in historiis.

§. 41. Videamus jam *Tattarorum orientalium* s. potius *Mungalorum* in *Sinas*, vel *Seras* potius, ante aliquot demum secula factam immigrationem, vel potius eruptionem. Gentem hanc totius Asia nobilissimam, contemplationis studio inprimis deditam, sapientiaque otio inclutam, jam inde a multis retro seculis vellitaverant nominati Tattari; successu quandoque haud infelici. At nostris demum temporibus, ante seculum facta fuit horum in Sericas terras irruptio & invasio plenaria. Nam Ægyptiorum istæ ad Sinas coloniarum antiquissimæ, quas intempestive admodum Kircherus in Oedipo adstruere conatus fuerat, merito ab eruditis jamdudum explosæ sunt tanquam falsæ & absurdæ.

§. 42. Sed missis priscaevi migrationibus plerumque violentis; quæ præsertim propiore ævo *pacata*, ex sapienti principum consilio, ab aliis regionibus & provinciis ad alias, sponte quasi sua destinatæ atque institutæ sunt, peculiarem heic loci sibi quoque vindicant mentionem. Cujusmodi exemplum olim etiam fuisse *Gbutorum* in Samariam post captiv. Israelitarum Assyriacam; *Henetorum* ex Media in Paphlagoniam, antea jam a nobis memoratæ coloniarum. Nam si re-

volutiones imperiorum & mutationes rerum publ. insigni-
 ores cum migrationibus contulerimus, deprehendemus il-
 las non solum ex his pendere, sed has quoque illas cer-
 to semper subsequas fuisse. Ita victores, sive Romanos
 sive Græcos seu alios, incolas frequenter legimus tra-
 duxisse in alias regiones longe distitas, novosque in
 eorum locum procurasse colonos; cujus & nuper, quod
 Romanos attinet, exemplum adduximus ex Eutropio
 §. 32. Sed quin & idem posteriori hac ætate frequenter
 factum sit & adhucdum fiat, dubitare nos non si-
 nunt monumenta historica & experientia quotidiana.
 Ita sub auspicio Caroli M. *Saxonum* ingentem numerum,
 devicto rege eorum Vitechindo, in Galliam & Hunga-
 riam transportatum legitur; *Hollandos* vicissim & *Saxones*
 sec. XII. evocatos in Marchiam Brandenburgicam, Vagriam
 & Mechlenburgum, Venedis prius & Sclavis expulsis. Huc
 pertinent *Svecorum*, præcipue *Helsingorum* & *Gestrucorum*,
 sub Erico S. in Nylandiam ceteramque Fennix nostræ
 oram maritimam; & vicissim *Fennorum* in boreales Svedix
 Marchias non simplici vice factas transplantationes. Per-
 tinent huc quoque *Anglorum* in *Hiberniam*, & *Hibernorum*
 vicissim in diversas *Europa* regiones, præcipue autem in
Americam; *Salzburgerum* ex Bavaria, *Palatinorum* & *Hel-
 vetiorum* Rheno proximorum; *Valdensium* ex Italia, *Hugo-
 nottarum* ex Gallia in Borussia, Hollandiam, Angliam,
 Sveciam quoque nostram, & denique ad Indos *illorum* quo-
 que hoc & superiori seculo susceptæ emigrationes. Ad-
 de his si placet *Europaorum*, inprimis *Hispanicorum*, *Lusita-
 norum*, *Anglorum* & *Hollandorum* in diversas orbis partes,
 Americam totam meridionalem & septentrionalem, A-
 fricam omnem maritimam, & Asiam meridionalem, fre-
 quentes admodum sæpiusque iteratas colonias & migra-
 tio-

tiones; *Africanorum* item s. *Negrorum* in Americam translationem servilem: & facile agnosces confusionem gentium & mixturam populorum plus quam Babelicam.

§. 43. Restat adhucdum maxime memorabilis, nec tamen cuiquam, quantum constat, ex veteribus discrete cognita aut memorata, *Europeorum* puta aut quorumcunque diu in *Americam novumque orbem*, ante proximos hos 250. annos, inopinato certe ac contra spem omnium, detectum, emigratio. Ab isto en. tempore gravis quaestio ingenia doctorum mire torfit, undenam inventa ibi hominum & animalium tanta multitudo, quanta terra amplissime vix capere poterat, illuc venerit primum, cum longo maris tractu divulsus hic ab nostro orbe undique videatur. Exstant super hac re, praeter ea, quae novi hujus orbis scriptores Hispani, *Acosta* imprimis in tract. de *natura gentis & orbis* hujus exposuerunt, integra opera & scripta *Hug. Grotii*, *Job. de Laet*, *Comtei* & *Hornii*; ut dissertationes binas, si non plures, Upsaliae aliquando editas taceam. Id mutuo dolent eruditi hi viri, quod vel ipsi Americani aut nihil omnino, aut parum certe quod ad rem facit, de prima sui origine annotarint; tanto quidem minus, quod gens alioquin inventis ingeniosis & institutis domi egregiis, acumine insuper mentis, scriptoribus sat celebrata, litteris tamen litterarumque monumentis haud inclaruisse legatur. Id tamen infinita ibi reperta non dialectorum solum, sed & lingvarum diversitas; insuper tanta habitus, morum, legumque varietas, etiam inter vicinos, clare satis innuere videtur, non uno eodemque tempore incolas suos accepisse hanc terram, sed variis ex gentibus esse permixtam. Proinde etiam *Grotius*, nostratiumque plurimi, jure quodam

Americanos boreales ex Norvegia ortos, ac per Grönländiam in Americam venisse arbitratur; Jucatanenses & vicinos ex Æthiopia; Pervanos ex China; ceteros usque ad fretum Magellanicum ex reliquo oriente per terras australes.

§. 44. Et certe si conjecturis locus aliquis concedendus, ut hic quidem concedendus est, triplici potissimum via huc olim perveniri potuisse videmus, duplici quidem per tractus terræ boreales, tertia per australes. Grönländiam a parte boreali Americæ, præsertim Estotilandiz & Terræ Laborador, conterminam valde, si non omnino contiguam, agnoverunt, qui ora ista lustraverant; num ipsa autem continua sit usque ad Spitzbergam & novam Zemblam Moscoviz vicinam, ut quidam volunt, pro certo nondum definiri potest. Id tamen constat, hierno tempore oceanum proximum glacie esse obstructum, ut sic igitur pedestre iter, a borealibus Europæ partibus in ipsam Americam, animalibus saltem septentrionalibus e. g. urfis, mustelis &c. quibus America etiam septentrionalis, abundat, patuerit; præsertim cum itinerariorum fide exploratum sit, animalia prædicta boreales plagas petere sponte sua. Quod homines attinet, illi per Scandianorum & Danorum antiqvis temporibus culta ultro citroque commercia & navigationes, in terras hæc deferri poterant. Et adhuc quidem sub iudice lis est, quid per Vinlandiam suam Bonam, tantopere mythologis & scriptoribus nostris celebratam, & Grönländiz istam quidem proximam, intellexerint veteres. Probabiliter admodum hinc sane concludunt eruditi, partem saltem Americæ borealiorem nostris incognitam omnino non fuisse; sed illinc, ignaros tamen unde, res secum deportasse pretiosissimas, piraticam-

que in ista plaga non indiligenter exercuisse. Ita quippe descriptiones locorum, itinerum & hominum, hodiernis quadrant. vid. Torfæi. Grönland antiqv. & Verel. not. ad Herv. S. cap. I. ut sic igitur non omnino fabulosa censeri debeant, quæ de Sighelmo Episcopo suo perhibent Dani, eum scil. A. 883 Romam, a rege Alfrido, cum variis Indicis mercibus, per Boream allatis, missum fuisse. Accedit, quod per totam Americam frequens mentio facta sit migrationis a septentrione in meridiem, & non viceversa; majoresque suos advenas ex boreali plaga advenisse, confessi sint Canadenses, Virginiani & Floridani, qui & ideo animas suas adfirmant proficisci in septentrionem ad plagas boreales & loca nivibus concreta: ut taceam convenientiam quantulamcunque linguæ & normi inter utriusque orbis incolas deprehensam eruditis. At quo tempore & qua occasione defecerint Scandianorum cum Americanis modo memorata commercia, cum judicio executit & pro more suo egregie explicat *Holbergius* hist. Dan. sive part. I.

§. 45 Jam quod ad alteram viam itidem borealem attinet, ipsam quidem minus adhucdum exploratam habemus, quod inter itinerarios scriptores de terra Americam inter & Tattariam non conveniat. Est illa terra Esonis, Qvivira, Anian, & nova Albion, quam nonnulli longo tractu jam inde ab Americæ continenti, usque ad Tattariam magnam Asiaticam, exporrectam volunt, exiguoque tantum freto (nonnullis Anian, aliis d^o Uriez dicto:) a continenti terra Asiæ vel Americæ separata. Quod si ita est, non multum laborabimus, unde non solum fera animalia e. g. tigrides, leones &c. sed etiam incolæ homines, lingua moribusque Tattaricis & Scythicis quondam gentibus valde similes, nacta sit A-

merica, cum facilis hac ratione per regiones dictas eo fuerit progressus. Accedit, quod postquam Scythicæ nationes variæ quondam Tattariam magnam peragraverint atque etiam occupaverint, constet de iisdem inuper etiam, quod loca ista aliquando dereliquerint, ita ut nesciverint etiam Tattari, quorsum trans mare volaverint. Nullos autem postmodum repertos fuisse, qui regiones eorum vastarent, fatentur universi.

§. 46. De migratione australi per novam Hollandiam, Carpentariam, Terram Diemeni & dos Papos, ceterasque terras incognitas australes, cum a nautis nondum hæc explorata sint omnia, certi quid definire non possumus. Indicia tamen & vestigia etiam hujus itineris deprehendere sibi visi sunt plurimi in similitudine morum Pervensium atque Chnensium & Indorum.

§. 47. Neque tamen putandum, solo terrestri itinere huc pervenisse novi orbis incolas, fieri namque id quoque potuit per mare. Usus pyxidis magneticæ Sinensibus longe antea cognitus, quam nobis unquam Europæis innotuerat. Et quis quæso fidem dabit, fortuito quodam casu non potuisse hominum aliquot greges, Nomadum in modum præciævi, sæpius vi tempestatis & oceani abreptos ex Europa, Asia vel Africa, ad regiones tunc ignotas vel invito adpulisse? Nec argumenta deesse poterunt statuentibus, jam Platonis & Aristotelis ævo terram istam veteribus non omnino fuisse ignoratam. Nota sunt & obvia, quæ de coloniis Chartaginensium in insulam vastam & fertilissimam, desertam tamen, multorumque dierum navigatione a Gadibus & Libya distantem, in Atlantico mari sitam, tradiderint Diædorus Siculus atque etiam Aristoteles. Plura huc facientia vid. G. J. Vossium de philol. cap. XI, §. 16. & de scient. Mathem. cap. XLII.

§. 10. immo Angli jam A:o 1199, tribus integris seculis ante Columbum scilicet, detectam sibi atque binis etiam vicibus coloniis exultam gloriantur: qua de re nupere scriptum Londini prodisse fidem fecere nuncii tabell. publ. anni hujus 1741. conf. etiam de hac eadem re Pufend. in introd. ad hist. Europ. p. 78.

§. 48. Sit ita, quod per mare huc transire potuerint casu vel consilio homines. Statuendum tamen omnino erit, partes novi huius orbis boreales vel australes, aut fortassis utrasque, nostro orbi admodum vicinas, si non omnino contiguas; omnesque adeo continentis partes quocunque modo concatenatas esse vel fuisse, cum aliter ne quidem intelligi possit, quomodo post universalem illum mundi cataclysmum, animalibus, quibus terra hæc, ut reliquus orbis, gaudet non tantum innoxiiis, sed noxiis etiam & voracibus, leonibus puta, ursis, tigribus &c. &c. &c. via huc pateriti. Hæc enim omnia vel navibus imposita & ab hominibus advecta fuisse, aut sponte sua per mare vastissimum natando vel volando huc migrasse, aut miraculo quodam huc translata fuisse, omnem omnino fidem superat. Igitur nobis in præsentem sufficiat, vestigia indicasse migrationis *Tattarorum* atque *Scytharum* veterum, nec non *Scandianorum*, in Americam septentrionalen; *Chinensium* v. *Indorum*, forte etiam *Aethiopum*, in meridionales ejusdem partes.

§. 49. Quod si ad specialia heic loci quoque descendere volup fuerit, campus erit uberrimus exspatiandi. Nam imperia & regna sua hæc quoque gentes habuere, suæque habitationis terminos & periodos fatales. Notabiles tan en præ aliis, in hac mundi parte amplissima, sunt *migrationses Mexicanorum septentraria*, sed successivæ tamen, & ex septentrionis plaga factæ; qua de re vid. *hæcæpæricos Libros* aliosque scriptores.

§. 50. Plura non addimus, utut addi quidem possent. Neque enim a nobis heic expectat quispiam, ut prima gentium incunabula & populorum migrationes antiquas tradamus omnes. Fabellis pleraque permixta sunt, verumque si aliquid his in est, a falso discernere, majoris est indaginis, quam ut brevi & leviuscula opera absolvi possit. Dedimus nos operam, ut illa quæ a nobis brevi manu & arctiore loco conclusa sunt, certa sint & firmo nitantur talo.

CAP. II.

PHILOSOPHICUM.

§ I. Vi eorum, quæ præf. §. I. dicta sunt, harum migrationum causæ jam expendendæ sunt nobis. Ad specialia descendere non patitur proposita nobis brevitatis. Universalia instituto nostro magis conveniunt. Igitur cum intrinseca rei cujusdam possibilitate nil prius in eadem considerari possit, ex œconomia istorum temporum & genio populorum istius ævi explicandum erit, cur & quomodo tot tantq; migrationes peregre factæ, fuerint possibiles.

§ 1. Terra ipsa erat incurfioni undiqve patens. Nullæ tum arces aut loca castellis munita; ne urbes quidem & oppida in usu erant, sed solitudines & loca deserta vastissima. De gentibus sic dictis barbaris jam loquor: nam de Græcis, Gallis & Romanis, postquam inciaruere moratioresq; illi dici cœperunt, aliter sentiendum. Et Sarmatiam quod attinet, novimus eam vastis sylvis, desertis, paludibusqve olim refertam, & incultam fere. de Scythia idem constat multo adhuc evidentius. De Dacia, Mœsia, Thracia, Pannonia, Germania idem dixeris, nisi quod aliquibus in locis, ad Rhenum maxime & Danubium, a Romanis legimus urbes & arces

exstructas contra impetum Germanorum. *Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se junctas seces. Colunt discretis ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Igitur nec vicos locant in nostrum morem connexis & coharentibus aedificiis. Suam quisque domum spatio circumdat &c. Tacit. Germ. Quod de Germanis Tacitus, idem de Sarmatis Mela cap. 4. lib. III. de sit orbis, accuratissimus uterque, si quisquam, in suo scribendi genere: Gens habitu armisque Particâ proxima; verum ut cæli asperioris, ita ingenii. Non se urbibus tenet, & ne stans quidem sedibus. Ut invitare pabula, ut cedens & sequens hostis exigit, ita res opesque secum trahens, semper castra habitat; bellatrix, libera, inamita, & usq; eo immanis atque atrox, ut femina etiam cum viris bella gerant. Idem de se Scythæ prædicant apud Curt. Lib. VII. cap. 3. Scytharum solitudines, inquit legatus Scytharum ad Alexandrum M. Græcis etiam proverbium audio etudi. at nos deserta & humano cultu vacua, magis quam urbes & oppulentos agros sequimur. & paulo prius: cum sylvis & nivibus & fluminibus, ferisque bestiis gesturus es bellum. & post pauca: Quid nobis tecum est? Qui sis, unde venias, licetne ignorare in vastis sylvis viventibus? Transi modo Tanalm; scias quam late pateant; nunquam tamen consequeris Scythas. paupertas nostra velocior erit, quam exercitus tuus. Rursus: quum procul abesse nos credes; videbis in suis castris. eadem velocitate & sequimur & fugimus. Erat illa prisca ævi nomadum tantum non omnium, præcipuè verò Scytharum, vitæ conditio: donec in Scandia primum, mox Germania, postquã ibi imperium convalescere cœpit, castella ab initio, mox Marchiones (: Landwårns Mån:) h. e. limitanei custodes constituti fuere. Et primus quidem erat Henricus Auceps, qui seculo demum X:mo, occasione irruptionis Hungarorum & tributi illis annua-
 cium*

eim pendendi, loca maxime idonea castellis & arcibus
 communivit orientem versus; ipse etiam *Marckæ* comi-
 tes, *Margrefwar*, ad omnes fines imperii ordinavit, consilio
 in illa cis mare Germaniæ nova civitate, inusitato ha-
 ctenus. Ipse denique palæstricos ludos & exercitiis mili-
 taria primus introduxit in imperium: quibus omnibus,
 barbarorum potentiam ac vagas incursiones fregit & cohi-
 buit, inque illa gente fundamenta jecit reipubl. perennis
 ac durabilis. Cæsaris ætate *Civitatibus maxima laus erat,*
quam latissimas circum se, vastatis finibus, solitudines haberet,
 ut ipse de Germanis testatur cap. 23. Lib. VI. B. G. Ci-
 vitates dicit, non quales hodie ita nominare solemus,
 sed quamlibet hominum multitudinem in societatem
 mutuam collectam: ita enim Cæsari pariter ac Tacito u-
 surpari solent nomen civitatis. Et cap. 34. *Erat ut supra*
demonstravimus, manus certa nulla, non præsidium, non oppidum,
quæ se armis defenderet, sed in omnes partes dispersa multitu-
do, ubi cuique aut vallis abaita, aut locus silvestris, aut palus
impedita spem præsidii aut salutis aliquam offerebat, confederat.
 At quantum annis, inquit Tacitus de Gallis in Germa-
 niam transmigrantibus, obstabat, quo minus, ut quæque gens
 evaluerat, occuparet permutaretque seæcis promiscuas adhuc & nul-
 la regnorum potentia divisas.

§. 3. Ex dissoluto isto vivendi modo, vitiosa penes baro-
 baras gentes existit imperiorum & regiminis forma.
 Nullarum reipubl. regulares, aut saltem legibus & pa-
 ctis publicis firmatæ. Ut lubitum cuique & maxime com-
 modum visum erat, in societates coierunt, eadem faci-
 litate mox dirumpendas. *Ubi quis ex principibus,* inquit
 Cæs. Lib. VI. c. 23. B. G. de Germanis, *in concilio se dixit*
ducem fore, ut, qui sequi velint, proficiantur; consurgunt ii, quibus
& causam & hominem probant, suumque auxilium pollicentur
argus

atque ab multitudine collaudantur. qui ex illis secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque rerum in postea fides abrogatur. Habebant quidem principes suum regem, cui tempore belli parendum omnino erat, tanquam magistratui totius civitatis communi; at in pace nullus communis erat magistratus, disertis verbis testatur C. J. Cæsar, sed principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt. igitur nec regibus infinita aut libera potestas, & Duces exemplo potius quam imperio præsumunt, inquit Tacitus. De consultationibus v. eorum idem auctor sic: illud ex libertate vitium, quod non simul, nec jussi conveniunt, sed & alter, & tertius dies cunctatione eöeuntium assumitur. ut turba placuit confidunt armati; silentium per sacerdotes, quibus cum & coercendi jus est, imperatur. Mox rex, vel princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate. si duplici sententia, fremitu aspernantur, si placuit, fræneas concutiunt. Incoelæ igitur & indigenæ præci ævi per sedes incertas vagabantur errabundi (§. 2. supr.), nullis legibus certis ac definitis, nulla disciplina certa adstricti, vi hætenus dictorum: nec alius modus acquirendi imperii erat in liberas & indomitas gentes, quam per vim & coactionem externâ bellicam, aut si per consensum, temporaneum tamen illum & minus durabilem. Post Attilæ mortem, quomodo corpus illius regni universum, variis ex gentibus conflatum, in partes, unde venerat, resolutum fuerit, constat ex Jornande. Hunnorum pars in Transylvania confederat, pars in Græciam & inde in Scythiam se receperat. Alanorum partem maximam in Galliam & Hispaniam transiisse supra audivimus, cum Vandalis & Svevis; etiam junctis viribus cum V. Gothis, Burgundionibus

& Romanis contra Attilam ad campos Catalaunicos pugnasse notum est: partem tamen non exiguam Hunnis quoque socias junxisse manus, etiam novimus ex Jordanede. Idem de Svevis dicendum, Herulis atque Rugiis; ut nihil jam dicam de O. Gothis & V. Gothis, Gepidisque, qui divisi a se invicem, unius tamen omnes stirpis erant, & cognatione eadem ab origine juncti. conf. supr. Cap. I. §. 20. immo si recte omnia pensitamus, deprehendemus singulas emigrationes redolere aliquid vitiosi in ea republica, unde factæ sunt.

§. 4. Tertium jam considerandum venit, *divisio in societates innumeras, adeoq; parvas & exiguas*, ut justum aliquod & quocunq; modo perfectum imperium ne nominare quidem possis. *Promiscuas* ideo *ad huc & nulla regnorum potentia divisas*, vocat Tacitus Germanorum *sedes*. Quotaquæque civitas habebat suum magistratum, suamque regem: totidem v. erant civitates & societates, quot erant populorum & nationum discrimina. Jam Politica docet, ad legitimum aliquod imperium & justam rem publ. constituendam, concurrere debere tantam multitudinem hominum & tot civitates, quot & quanta vi & irruptioni quorumvis sustinendæ, non semel, sed iteratis vicibus, par esse possit. At ignota quidem ista regula, aut saltem non observata veteribus. Antequam Romanorum imperium ad id fastigium excreverat, ut ceteris imponeret jugum omnibus, quot & quantulacunq; respublicæ? Fidenates, Veientes, Samnites, Rutuli, Sabini, Volsci, exiguam partem Italiæ, ditionem Pontificis hodiernam, nec illam quidem omnem, divisi inter se tenebant, & cum Romanis seorsim bella gerebant. Reliquam Italiam jam non attingimus. Transeamus Alpes, & attendamus ad Galliam, quomodo proximis ante C. N.

42
seculis, antequam Romanis cederet, illa comparata fuerit: Bellovacii, Sveviones, Nervii, Rhemi, Senones, Silvanectes, Parisii, Tricasses, Ambiani, Morini, Caletes, Velocasses, Veromandui, Atrebrates, Menapii, Condrusii, Eburones, & qui non? Galliam solam Belgicam, inter Sequanam fluvium & Rhenum, inhabitant. vid. Cæs. B. G. Lib. II. c. 4. ita se etiam habet res cum reliqua Gallia Celtica, Aquitanica, Narbonensi. Non ulla provincia hodiernæ Galliae existit, quæ non peculiare haberet civitates, jurisdictione & imperio inter se divisas, easque plurimas, e. g. Piccardia & Artesia. Evolvamus Tacitum, ceterosque auctores Græcos & Latinos, atque de Germanis, Scythis, Sarmatis &c. idem constabit multo adhuc evidentius. Tametsi autem non negaverim, societates has sapius, necessitate sic urgente, in unum coivisse corpus, tempore maxime belli; non aliter certe quam pagi hodierni Helvetici & provinciæ Belgicæ: ista tamen unio apud illos non consideranda erit tanquam pactum aliquod perpetuum aut lex imperii fundamentalis; sed arbitraria & temporaria conjunctio fuit, eadem facilitate solvenda, qua instituta fuit, prout cuique lubitum & commodum videbatur. Peculiare igitur quoddam pactum intercedere debebat prius, quam facta testata conservari poterat res tanti momenti. Interim & hic quoque, dum deliberant Romani, capitur Saguntus; & domitis proximis, cum accessione virium fortior ad alios transfret hostis, non dominationis solum sed & sedium ipsarum insuper metamorphosis passim & ubique existit. Proxima quæque victoria instrumentum sequentis erat. Totius Orientis vel Occidentis populos subigere bellatoribus temere felicibus multis proclive erat. Scythæ qui dicebantur regii, ceteros Scythas tanquam servos suoque imperio adstrictos ha-

bee

bebant; quanquam & his quoque sui essent reges, Tauris
puta, Agathyrsis, Neuris, Androphagis, Melanchlænis, Ge-
lonis, Budinis, Sauromatis. Cum igitur, occasione belli,
quod in Scythas moverat Darius Hyftaspis Persarum
Rex, ipsi nuntios cum mandato ad reges gentium prædi-
ctarum misissent, ut omnibus cum copiis adessent peri-
culum commune aversuri: Geloni quidem, Budini & Sau-
romatæ concordî animo receperunt se Scythis auxilio fu-
turos; ceteri auxilia denegarunt, & quiescere statuerunt, us-
que dum ad se quoque venerint hostes. tum enim sua se de-
fensuros suis armis, dixerunt. vid. Herod. lib. IV. p. m.
115. conf. p. 13 Et de Thracum gentibus Lib. V. p. m. 127.
Quod si jam unamquamque civitatem in se considerare vo-
lupe fuerit, inveniemus eam quoque plerumque in fa-
ctiones divisam, dum quisque sibi, nemo publico prospice-
ret. *In Gallia non solum in omnibus civitatibus ac pagis,
partibusque, sed pene etiam in singulis domibus factiones sunt. Et*
q. s. apud Cæs. de B. G. Lib. VI cap. 11. & paulo post: *Hæc*
eadem ratio est in summa totius Gallie. namque omnes civi-
tates in duas partes divise sunt. Esse nonnullos, conqueruntur
Ædui coram Cæsare, quorum auctoritas apud plebem plurimum
valeat; qui privatim plus possint, quam ipse magistratus e. q. s.
vid. Cæs. c. l. Lib. I. cap. 17. 18. & de Orgetorige apud
Helvetios cap. 3. & 4 Summa summarum hæc erit: respu-
blica plerumque & politia tota funditus erat corrupta ac
perversa.

S. 5. Nihil igitur jam erat, quod remoram aliquam
adferre posset incursionî barbarorum præter potentiam Ro-
manam. At cum ceterorum omnium vires fregisset, Gal-
lorum, Germanorum &c. ipsa jam mole sua primum la-
borare incipiens, mox elanguida & diffidiis internis e-
nervata jacuit, nec tantis motibus sustinendis, divisio impe-

rio par amplius erat. Præsidia ex Britannia primum; de-
 inde ex Danubii ripis, tandem undiquaque conquisita, in
 propria maxime viscera sævire atque ruere cœperunt. Ex
 LX. numero imperatoribus, qui ab Augusto usque ad *Theo-*
dosium M. per integra IV. secula imperii gubernacula te-
 nuerunt, soli XVI. morte naturali, IV. hostili, ceteri om-
 nes violenta suorum manu & parricidio perierunt. Ex
 XII. illis, qui postmodum in occidente, proxime ante &
 sub irruptione Gothorum imperarunt, uno excepto *Honorio*,
 omnes violento modo aut de throno ejecti sunt, aut vi-
 ta penitus extincti. In oriente autem, integris denis se-
 culis, adeo confusa & turbulenta imperandi ratio obtinuit,
 ut ne numerum quidem imperatorum quis facile inire
 possit: plerisque aut e vita exemptis, aut membris corpo-
 ris mutilatis, aut throno dejectis. Nec tamen hunc tur-
 bulentum rerum statum multum miramur, considerantes,
 "quam tetra monstra sederint ad summa gubernacula in
 "eo fastigio, in quo lucere & conspici debebant virtus
 "ac sapientia? Quantæ & quam assiduæ securæ sint sedi-
 "tiones, quam multa & atrocia civilia bella? Nobili-
 "tas deleta est partim a tyrannis, partim in civilibus bel-
 "lis. Exercitus ex barbaris gentibus collecti, ceteras am-
 "plissimæ prædæ spe, ceu inescatas pellexerunt ad provin-
 "cias Romanas appetendas, & quasi fores eis aperuerunt.
 "Disciplina vetus extincta est: magistratuum &
 "militum in provinciis rapacitas & libidines creverunt
 "in immensum. Gothos primum ad invadendas provin-
 "cias Romanas excitavit & impulit summa occasio, ex vi-
 "ribus imperii fractis tot bellis civilibus. Francica auxi-
 "lia in Galliam accersita ad expellendum Lucium præsi-
 "dem *Honorii*, qui rapuerat uxorem viri nobilis, occu-
 "pata primum urbe Trevirorum, reliquam mox Galliam
 "subjugarunt. *Bugenbagis* orat. § 6. *Hilce*

§ 6. Hisce vero rite præmissis, nihil jam restat, quam ut ipsum fontem & primum quasi mobile motuum & migrationum tot & tantarum investigemus. Juvat in hanc rem *genium ac indolem gentium ac populorum istius avi perulustrare*. Hanc nullus credo nervosius & per compendium magis expressit Tacito, historico certe omnium consensu acutissimo & accurato. Ita autem ille de Germanis: *Si civitas, in qua orti sunt, longa pace & otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultra eas nationes, qua tum bellum aliquod gerunt, NB. quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clarescunt. & paulo post: Materiam munificentia per bella & raptus. Nec arare terram, aut exere dare annuum, tam facile persuaseris, quam vocare hostes & vulnere mereri. Pigrum, quin imo & iners videtur sudore acquirere, quod possis sanguine parare*. Ita graphice hic Germanos depingit, ut neque difficulter agnoscas Gothicum ingenium Gothicosque mores, si singula modo cum annalibus nostratium vetustis contuleris. Nec mirum: ipse enim Svionas & Sitones h. e. Norvagos, in descriptione sua, Germaniæ gentibus aperte adnumerat. Sed persequamur reliqua: *Quoties bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque. Fortissimus quinque & bellicosissimus nihil agens, NB. delegata domus & penarium & agrorum cura, faminis senibusque & infirmissimo cuique ex familia. & tandem: ipsi habens miram diversitatem natura, cum iidem homines sic ament inertiam, & oderint quietem*. De Thracibus idem fere testatur Herodotus Lib. V. p. m. 128. *Otiosum esse pro honestissimo habetur: Agricultorem vero pro contemptissimo. E bello atque rapto vivere pulcherrimum; atque hi quidem sunt insignissimi illorum mores*. Ita sane est; oportet homines aut litteris, aut bello inclarescere; nihil autem agendo male agere discunt. Nul-

læ tum artes, nulli pacatè vivendi modi. otia litteraria
 nulla tum in usu erant sic dictis barbaris; sed si quæ vis
 ingenii, si quis vigor, aut animi fervor & impetus, id omne
 quicquid erat, in bellicas artes & noxia molimina im-
 pendebarur. Audaces igitur & præcipitis consilii in
 pericula se conjecerunt; de eventu rerum parum sol-
 liciti erant. Mela, & ipse quoque gravis auctor & pro-
 batus, postquam Germanos Lib. III. cap. 3. de situ orbis
immanes esse animis atque corporibus, dixerat, statim subjungit: Bella cum finitimis gerunt, causas eorum ex libidine accer-
sunt: neque imperitandi prolatandique, quæ possident (NB. nam
ne illa quidem enixe colunt) sed ut circa ipsos, quæ jacent, va-
sta sint. Jus in viribus habent, adeo ut ne atrocitatis quidem pudeat,
tantum hospitibus boni, mitesque supplicibus. Exemplo nobis
sunt Helvetii, qui florentissimis rebus domos suos reliquerant
(Cæs. B. G. L. I. c. 30.), ut toti Gallia bellum inferrent, im-
perioque potirentur, locumque domicilio ex magna copia deligerent,
quem ex omni Gallia opportunissimum ac fructuosissimum judicas-
sent, reliquasque civitates stipendiarias haberent. In eum quo-
que finem patria egressi, oppida sua omnia, numero ad XII,
picos ad CD. reliqua privata ædificia incendunt, frumentum om-
ne, præter quod secum portaturi erant, comburunt, ut do-
mmum reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda
essent. vid cap. 5. Existimet quis furiosos fuisse, nec ratio-
nis compotes. At quid a barbaris aliud expectandum, qui
non alio nomine à moratoribus distinguebantur; Græcis
puta atque Romanis. quibus tamen & ipsis, si justitiæ cau-
sæ respexeris, facile applicare poteris illud Scythar-
um olim ad Alexandrum M. at tu, inquit, qui te
gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium,
quas adisti, latro es. Lydiam cepisti: Syriam occupasti; Persidem
cones. Indos petisti: jam etiam ad pecora nostra avaras & insatia-
biles

biles manus porrigis. Primus omnium satietate parasti famem; ut quo plura haberes, acrius, qua non habes, cuperes. Curt. Lib. VII. c. 8. Ita quippe summum jus (aut si dicere mavis: species juris) summa aliquando est injuria.

§. 7. Ejusmodi vero instituti prima & proxima consequentia erat, ut unusquisque militem ageret, militæque sigillatim navaret operam, nisi qui foeminis & infirmissimo cuique ex familia annumerari vellet. Hoc unicum industriae specimen & documentum ingenii, hoc summum artificium erat. hinc tantus numerus, tantaque multitudo conficiebatur hominum & militum, ut terrori essent omnibus, stupori etiam & admirationi nobis posteris. Bellovacos, qui exiguam tantum partem *Insulae* hodiernæ *Francicae* in Gallia possidebant, armata millia C. conficere potuisse; pollicitosque ex eo numero lecta millia LX. adversus Cæsarem, ipse testatur B. G. L. II. c. 4. Adde his, si placet Sveffiones, Nervios, Atrebatas, Ambianos, Morinos, Menapios, Caletes, Aduaticos, Velocasses &c. &c. & ipsos quoque insulae *Francicae* & vicinarum regionum *Piccardia*, *Artesia*, *Hannonia* accolas, quos c. 1. enumerat Cæsar, & ingentem oppido numerum conficies. nam præter mulierum & liberorum turbam, tota eorum civitas ex milite constabat, quem usque ad unum, expeditionem insignem molituris, de domo & patriâ educere moris erat. de toga man uhr hufet.

§. 8. Hic tantus numerus tantaque multitudo sustentari voluit. Igitur quærendus erat *villus* & *necessaria ad vitam sustinendam suppellex*. Informem terris, tristem cultu aspectuque vocat Tacitus Germaniam. Idem multo magis de Sarmatia, Dacia, Mœsia, Thracia, Scythia, Scandia, testantur auctores alii Græci & Latini. Contemptui habebantur artes, etiam populares & manuaræ; honesta emergen-

di studia, quibus nostrum seculum sedulo incumbere solet, illis deficiebant. Quid igitur? necessitate quadam compulsi, aliena petere sedesque continuo mutare coacti erant, si famem extinguere; si desiderem vitam, in se tædiosam certe ac molestam; si denique duriora quævis fata evitare vellent. Nec exempla deficerent, quibus hoc ipsum comprobari posset, si id jam ageremus, de Gothis, Gepidis, Herulis, Cimbris, Gallis &c. clara res est atque evidens.

§. 9. Omnis mutatio est periculosa, & corpus motum ex vi sibi impressâ, potentia gaudet alia corpora moveri. Idem de migrationibus dixeris, ita nimirum invicem cumulantur, ut una non difficulter exstiterit *alterius causa*: *Ædui olim apud Cæs. B. G. L. 1. c. 31. conque- sti sunt: nisi quid in Casare populoque Rom. sit auxilii* (nempe contra invalores Germanos & eorum regem Ariovistum), *omnibus Gallis idem faciendum, quod Helvetii fecerunt, ut domo emigrent, aliud domicilium, alias sedes remotas a Germanis petant, fortunamque, quæcunque accidat, experiantur.* Vandali in Dacia a Gothis male excepti in Pannoniam primum; deinde, insequentibus V. Gothis, in Galliam; mox quoque, eorundem metu cum Alanis & Svevis, in Hispaniæ ultimum angulum se recipiunt: Gothis autem & hic quoque urgentibus, in Africam tandem trajiciunt. V. Gothorum vestigia Hunni presserunt, Comanos sive Chunos Tattari sedibus moverunt; & sic porro.

§. 10. Sed & ansam & occasionem præbuerunt motus isti turbulenti, *alias gentes longinquas & peregrinas in auxilium evocandi & ultro invitandi*. Ita Vandalos ex Hispania in Africam, Longobardos ex Pannonia in Italiam, Anglosaxones ex Jutia in Britanniam, *Varegos* ex Svecchia in Russiam evocatos legimus.

§. 11. Sed

§. II. Sed hæc & alia pluribus persequi non licet. antequam tamen finem huic capiti imponimus, non prætereunda nobis videtur observatio magni illius Baconis de Verulamio, summi Angliæ Cancellarii, scientiarum & meliorum litterarum Instauratoris profundissimi; *creberrimas nim. & maximas expeditiones ab SEPTENTRIONALI & ORIENTALI PLAGA factas in OCCIDENTEM & MERIDIEM, nunquam vel rarissime a meridiæ in septentrionem. Cimbrorum, Gothorum, Gepidarum, Vandalorum, Burgundionum, Svevorum, Herulorum, Longobardorum &c. migrationes & expeditiones, ex Scandiæ & Germaniæ locis septentrionalibus institutz fuerunt, omnes in meridiem & occidentem; idem de Anglosaxonibus, Francis, Normannis dicendum. Hunni, Alani, Hungari, Comani, Bulgares, Slavi, omnes ex borea & oriente in occidentem & Europam meridionalem penetrarunt. Turcæ, Tattari, Parthi, Scythæ, Cimmerii &c. ex Asia septentrionali cuncti in meridionalem, & inde in occidentalem Europæ plagam, Africæq; semet profuderunt. Contra paucas olim reperies expeditiones in orientem factas, paucissimas durabiles & felices. Græcorum potentia & imperium in Asia diuturnum non erat. Romano imperio obicem posuit Albis Germaniæ & Euphrates Asiæ fluvius; moxqve a septentrionalibus populis destructum penitus ac dilaceratum fuit. Saracenorum in Asia florentes res non erant, quales in Africa. Gallorum in Græciam & Asiam, Celtica vetus, & recentior *cruciatæ* emigratio, infelix utraqve fuit & infausta, maximisqve suorum claudibus fere ad internecionem usqve referta. Digna equidem res est observatione; rationes & causas *Physicus* explicabit. Expendenda nimirum hic sunt singula illa, quæ borealis nostra plaga, & orientalis, a ceteris habeat diver-*

sa & peculiaris : cœli & soli natura hic rigidior & aspera ; pressura atmospheræ fortior ; & quæ alia sunt hujus generis. Quin enim omnia hæc, in ingeniis & temperamentis hominum fingendis & formandis, maximam vim habeant & influxum, dubitabit is solum, qui præter mentem, corpus se habere non agnoscit.

§. 12. His ita expositis ad *rationem determinantem ultimam & causam efficientem principalem* jam properamus, de qua re seqv. cap. dabitur nobis aliqua differendi occasio.

CAP. III.

PRAGMATICUM.

§. 1. Hæc fuere causæ migrationum. Videamus jam illarum *effectus*. Neque enim causa datur efficiens, nisi etiam detur finis ab ente rationali intentus. Finis autem s. *causa finalis* optime cognoscitur ex effectu, cum causato causæ efficientis. An enim existimas animi gratia, & non, immutatis omnibus & singulis, regiones mundi pertransiisse orbis universi perturbatores? An mutationes humano generi inductas sine ratione sufficiente & provida Numinis cura? Quid ergo? aut atheismo herbam porrigas, aut stupendum potius consiliorum & sapientiæ divitiæ abyssum agnoscamus necesse est. Ipse mutat tempora &c. Dan. 2: 21. conf. Rom. 1: 33.

§. 2. En *stupenda*, & prope dixerim *miracula*, populum exiguum ex parvis initiis excrevisse adeo in multitudinem, ut mole laboraret sua, & orbi universo esset exitio & terrori. *Gothorum* tres erant naves, narrat Jordanes, cum Scandia solverent; harum una Gepidas tulit, distinctam omnino & separatam gentem. *Saraceni* ab exiguo Arabiæ felicis angulo protinus eruperunt, ignoti hactenus & contemptui habiti. *Turcarum, Hunnorum, Sclavorum* &c. ignota adeo & in obscuro posita gens prius,

ut vestigia eorum aut plane non, aut ægre omnino reperire liceat apud auctores veteres. Romanorum initia quam exigua; quam vastum postmodum nomen! quamque potentes! Quod si unamquamque gentem seorsim considerare volupe fuerit, & hic quoque manifesta & aperta providentiæ Divinæ vestigia deprehendere licebit: at nobis jam ad specialia descendere non licet.

§. 3. Iterum alium *abyssum confiliorum Divinorum*. Si effectum proximum respicias, nihil aliud quam vastationes, tumultus, perturbationes, sursum deorsum versa omnia deprehendes; at si remotum, in iis, quæ nullo ordine congesta videbantur, ordinem pulcherrimum; in iis denique, quæ calcis instar sine arena habebantur, inexpectatum prorsus ac indivulsum optime coherentium nexum pervidebis. Etsi enim in dilaceratione imperii Romani, inquit Bugenbadius in fragm. de migrat. & mutat. gentium, in occid. Imperio, magnæ vastationes effectæ sunt; punit enim DEus peccata omnium gentium talibus mutationibus: tamen & in ipsis bellis fortitudo atque industria, & confectis bellis sapientia ac justitia eorum in regnorum constitutione ac gubernatione conspicitur. Non enim, ut hodie Turcæ, deleverunt leges, judicia, doctrinas, religionem, sed in occupatis provinciis harum rerum studia excitarunt, & magna curâ disciplinam honestam rexerunt ac retinuerunt. Anglosaxones & Normanni imperium hodiernum Britannicum; Franci & Burgundiones Gallicum; V. Gothi Hispanicum & Lusitanicum; O. Gothi & Longobardi Italicum; Normanni Neapolitanum & Siculo; Hungari Hungaricum; Slavi Russicum, Polonicum, Bohemicum; ordo Germanorum Teutonicus Prussicum; Orbis junior Svecicum, in Europa fundarunt, saltem firmarunt, atque in

posteritate suâ ad hæc usque tempora sapienter administrarunt.

S. 4. Quod si igitur jam in *causas finales* inquisiverimus, redibunt illæ, proxime quidem, ad *justitiam DEI vindicativam*; quæ tamen cum semper sit in *optimum* vergens, pro fine habet *bonum* inde certo consecuturum, & ad *summam* adeo *humani generis perfectionem*, tanquam finem ultimum, tendit.

S. 5. Pono autem, eo demum regimen Divinum collimare tam circa gentes integras, quam *unumquemque in specie*, ut omnes tandem sapiant, seque ipsum quilibet atque creatorem in opificiis cognoscat. Hoc non fit, nisi quatenus per varios motus animorum, motiva præbentur intellectui, naturæ cujusque convenientia. Quo magis igitur barbaræ fuerint gentes, hoc magis excitari opus habent, ne desidia & inertia obtorpeant animi. Exemplo erit potentia Romana, quæ per potiores orbis partes ad id fastigium jam excreverat, ut fessa & languida eadem, tuto se ad quietem recipere, otioque & voluptatibus aliquid dare sibi jure videretur; cum novi hostes januas pulsarent undiquaque, novosque motus, novas turbas excitarent assidui, infamem quietem & gratum obtusis mentibus somnum & sic quoque propulsuri. Immo cum ne sic quidem excitari se passi sint, effractis omnino foribus in ipsum conclave & viscera imperii protinus proruperunt, domesticosque incolas aliam vitam aliosque mores docuerunt. Eadem observatio ceteras quoque manet gentes, Saracenos, Seras, O Gothos in Italia, V. Gothos in Hispania, Gallos &c. Et præterea fateri necessum habent omnes, casui & fortunæ deberi inventa ingenii humani celeberrima. Quibus adeo quantum prospectum sit per fata rerumpubl. & populorum tur-

bida

bida, perspicient, qui perpendunt, nusquam magis ingenium humanum ad talia irritari, quam cum discrimen vitæ & fortunarum erit subeundum; virtutemque altæ indolis circa ardua potissimum versari, cogitaverint. Proinde etiam cotis, imo ventorum & affectuum instar, considerandi erunt ejusmodi motus, quibus mentes hominum acuerè, earumque nebulas crassiores dissipare crebro soleat providentia Divina. Ut taceam, gentem maxime barbaram, cultiori cuidam admixtam, cum tempore barbariem paulatim deponere, novosque mores assumere; cujusmodi moris emendati, imo corruptioris quoque redditi nullo non tempore plurima prostant, ita Angli cultiorem suo adventu reddidere Britanniam; Romani Galliam & Belgium. Tattari s. Mungali irruptionem in Seras facientes eodemque debellantes, mox mitiores facti, hodiernum inter civiliores gentes referuntur, perinde atque Seres ipsi; utraque autem gens, permutatis invicem moribus & commixtis, præstantissima evasit in bello & pace, in sago & toga bene versata. Saraceni scientias & bonas artes intulerunt in Europam. Contra Ducatus Valliæ l. Cambriæ populi habentur ceteris barbariores, quod indigenæ ad hæc usque tempora, nulla cum finitimis commercia habuerint. Sic Scoti etiam & Asiæ septentrionalis populi. Obvento autem fine, cessat etiam, quod ejus causa institutum erat. Igitur apud nos Europæos non tam enormes sunt motus, ac apud Asiæ & Africæ populos, ubi ad interuersionem usque gentium & rerum publ. inter se diglantur. Immo in universum observare licet, motus hosce animorum, & mutationes inde pendentes, hodie non tam fieri per *irruptionem violentam*, quam per *insinuationem modestam & facilem* e. g. per commercia. Licet

cet autem multo potius per insinuationem modestam & facilem jam obtineatur finis, quam olim per irruptionem violentam; non tamen ut inutilia & minus necessaria habenda erunt & spernenda media ista violenta. Nam olim homines per motiva, ex rationibus extrinsecis magis, quam intrinsecis sumta, duci se patiebantur. Propositi sui magis etiam tenaces olim rationes pro & contra non ita ponderabant, ut hodie, dum rationis capistro se teneri tantum non omnes gloriantur. Effrenis enim tum magis stabat pro ratione voluntas. conf. supr. §. 6. Cap. II.

§. 6. *Fata reipubl. Litteraria* heic tradere nostrum non est; dubium tamen nullum, quin per migrationes gentium ac populorum varias, incrementa ceperit maxima. Antea non dimidia, non tertia, sed admodum exigua pars terraeve globi erat cognita, cetera omnia in obscuro & tenebris sepulta Cimmeriis latitabant. Orientem versus Parthi terminos cognitioni hum. posuerunt; obscura cognitio Indorum; Serum adhuc obscurior. septentrionem versus limites erant Danubius & Rhenus fluvius, & in Asia Tanais & montes Caucasei. meridiem versus, si oram Africae maritimam exceperis Europae proximam, ignota omnia. Et hi quidem termini erant cognitionis hum. florente adhuc imperio Romano; cujus ante initia qualem existimemus fuisse conditionem? multa sic hodie dantur in omni scientiarum genere, quae deficiebant veteres. Quemadmodum igitur peculiari quadam providentia Div. artes & disciplinas excitari & renasci, fateri necessum habent, qui dignitatem & excellentiam earum consideraverint; ita vestigia ejus providentiae circa hanc rem deprehendet quisque inopina certe in migrationibus gentium. Per Euro-
pro-

prorum in Americam accessum, incrementi quantum cognitioni nostrae accessit? gens ante barbara, nova luce suffulta reddebatur, & inculta prius disciplina ac moribus, passim sedem jam Apollini Musarumque sacris præbet. testes sunt academix jam pridem illis in locis erectæ, Mexicana, Jacobipolitana, Qvitenfis; ut minora collegia & seminaria Jesuitarum taceam. Sarcenorum hæc laus est, quod barbarie ingruente universali, ipsi scientias sancte custodierint non tantum, sed extinctas pene jam apud nos Europæos denuo excitarent ipsi & renasci fecerint. De Seribus, in ultimis Asiae oris versantibus, & nostrorum commercii eo jam redactis, ut præstantiam ingenii Europæorum vel inviti agnoverint, eorundemque inventis jam palmam dederint, mox verba faciemus. De finitimo nobis populo, Russis & Moscovitis, constat, eos haud ita pridem barbarie & litterarum contemptu præ ceteris Europæis emnisse; jam v. nostro seculo, suo ad civitatem litterariam accessu, non solum limites reipubl. illius insigniter dilatasse, sed ipsam se quoque auctibus aliis super aliis majorem in modum locupletasse. Ut partem laudis non minimam hinc reportent Sveci, æquum est. qui post fatale inprimis prælium Pultaviense aliquamdiu illie dispersi confederunt.

§ 7. Fata Reipubl. Christiana Ecclesiastica tradere nostri non est instituti. Ipsius tamen, per excursionses & expeditiones in hanc vel illam plagam, ex hæc vel ista regione institutas, propagationem intendisse Deum O.M. eventus docuit. De Americis, aliisque Asiae & Africae populis, quibus cum Europæi commercia instituerunt, & ad quæ colonias suas deduxerunt, res clara est. Sere certe, acutissimi & moratissimi alioquin totius orbis barbari

bari & ethnici, alio prius supercilio Europæos pariter ac nationes ceteras fastidientes, sacra nostra quædantenus jam, incunte seculo hoc XVIII, & sub finem præcedentis proximi, amplexos esse, fama cum factis ipsa consentit. Turcas & Saracenos suo imperio vasto admodum & potenti, non nihil etiam ad Christi & doctrinæ ejus propagationem in regiones procul distitas, contulisse certum est. quemadmodum per status commercia cum Europæis instituta, instituendaque, magis magisque propagatum iri nulli dubitamus. (a) Gothos nostros saniores doctrinam in exteris regionibus imbibisse annales veteres & Ulfilanus codex N. T. adhucdum superstes, edocent. Judæorum ex Ægypto in Cananzam eductio miraculosa, toti orbi finitimo manu ductio viva fuit ad Deum vid. Jos. II: 9. 10. 11. quod etiam dicendum de transportatione eorum in captivitatem Babylonicam, ubi semina sanioris doctrinæ & cultus longe lateque sparsa fuere in orientem, Dispersio Judæorum proxime ante C. N. in Asiam, Græciam & Italiam, nihil aliud erat, quam præparatio gentium ad recipiendam Evangelii lucem. Hæc omnia aperta sunt & manifesta. Quid? si hic jam præsupposuerim, quod alibi demonstratur, insignem rei Christianæ prærogativam accedere ex actibus Divinis pædagogicis; ex defæcato rationis & intellectus imperio; fastu naturalis, superstitionis, & sensualitatis depressione; & in genere bonæ mentis studio ac cultura. §. 8.

(a) *Quantum momenti ecclesia Christiana accesserit per factum inter Christianissimum Gallorum regem & portam Ottomanicam: quomodo Turca, professi olim hostes, Christianis mixti, patienter Galatas inter atque Constantinopolitanos basilicas Christianorum libere agere, imo novem in Oriente episcopos a sede Rom. lectos, sicut in patria, obire munia ecclesiastica vid. Græmond. hist. Gallie, p. 208. seq.*

§. 8. Maxima vero, si quæ alia, *respublica civilis* cepit incrementa. Nam illis intervenientibus turbis & conversionibus rerum humanarum, firmiori fundamento inniuntur imperia nostris temporibus, quam antiquis. Nec adeo facile jam est, regna invadere, ut olim. Prudentia & potentia civilis jam ad id fastigium modo surrexit, saltem adsurgere omni conatur nisu, ut securitati & commodo incolarum sat prospectum sit a vi externa, pariter ac interna. quod ad singularia eunti & cum antiquioribus conferenti manifestum erit. Primum potentia totius in majorem molem & per justa spatia dimensa est, nec arctis adeo aut patentibus limitibus coarctata, ut uno impetu facile perfringi possit tota. Deinde regularis & ordini magis adstricta. Quod si verum est, *republicam* tum demum fore beatam, ubi reges philosophari aut philosophi regnare cœperint, utique & eo nomine hodiernæ *respubl.* longo intervallo præstant antiquioribus. Procuratio ipsa politica & forma regiminis magis jam ad philosophiæ, id est rationis, regulas attemperata est, quam hæctenus; & eo nomine naturæ & indoli rerum, & genio cujusque plus etiam accommodata. Ratio status ac scopus cujusque eo jam tendit, ut æquilibrium inter omnes & singulos servetur. Accedit, quod dignitas & excellentia *reipubl.* cujuscunque hodiernæ, præ quacunque veteri, non æstimanda solum venit potentiâ totius, sed felicitate & commodo partium, quæ de re conf. §. 6. & 7. præced.

§. 9. Non equidem nos fugit, præsens opusculum insignia capere posse supplementa & incrementa; forte etiam alicubi emendanda quædam, si manum eidem apponere liceret limatiorem ultimam. Sed propter temporis angustiam, cum hoc non liceat, contenti erimus, primas saltem duxisse lineas, per summa capita extendo. Vale B. L. & fave.